


12270, v. E. g.

✓









DEVOTUS  
MARIÆ  
VIRGINIS  
SEU

Varia motiva & media B<sup>am</sup>  
Virginem dignè ac devotè colendi.

*Conscriptus primùm Italicè*

à R. P. Paulo Segneri S. J.

*Dein*

Latinitate donatus

*Ab*

Adriano Wilhelmo Fabri-  
cio SS. Theologiæ Doctore, Archi-  
Diaconalis Collegiatæ Beat. Virginis  
ad gradus Canonico Capitalari.

*Cui accesserunt*

Sapientiæ Sanctorum  
Tres Partes.

*Et Alma Sodalitati B. V. sub titulo in  
Cælos assumpta in Archi-Ducali Collegio S. Jo-  
Labaci Apostolica auctoritate erectæ &  
confirmatæ in Xenium oblatæ  
Anno M. DCC. XXIV.*

---

LABACI, Formis J. G. Mayr, I. P. C. T.

INTRODUCTIO

2  
 fortè improvidi Mercatoris instar  
 dum te opulentum credideris, rursus  
 ser foro cedere cogaris. Sequere, si ita  
 lubet, me dirigentem, qui viam mon-  
 strabo, quantum fieri poterit, planis-  
 simam, quâ invenias lydium lapidem,  
 tuo quoque iudicio, selectissimum,  
 dummodo in bonum tuum, eò provi-  
 dè uti noveris.

2. Rectè hic ex me sciscitaberis:  
 Quid igitur censeam esse veram De-  
 votionem erga Beatissimâ Virginem?  
 Naturâ magistra id minimè addisces,  
 utpotè quæ sibi fingit res esse tales,  
 quales eas esse desiderat. Abyssini  
 Æthiopiæ populi, Angelorum faciem  
 pingunt colore fusco, quo ipsi sunt.  
 Similiter peccatores, quibus nigra est  
 anima, nigram sibi persuadent Devo-  
 tionem erga Beatissimam Virginem,  
 tanquam pulcherrimam, adeoq; unâ  
 secum quoscunque sceleratos homi-  
 nes, latrocinijs, adulterijs, aut alijs  
 criminibus deditos, quos Beatissima  
 Virgo summè aspernatur, eidem ni-  
 hil-



Philominus inter tot vitia devotos esse arbitrantur. Quare, ut rectè noveris, quid in particulari sit hæc Devotio, de qua agimus, prius inquirendum erit: Quid eadem in genere sit.

## §. II.

**D**evotio, si D. Thomæ ad stipulamur. 2. 2. q. 82. 2. 1. est Voluntas quædam prompta tradendi se, ad ea, quæ pertinent ad DEI famulatum. Sicut ergo illum Principi devotum dicimus, qui ministerio Principis sui; illum Devotum Patriæ, qui bono Patriæ promptè se impendit: & Filij Israël DEO Devoti dici meruerunt, eò quod in deserto fabricaturi magnificentum DEO tabernaculum. Exod. 35. torques aureos, pretiosa vasa, & vestes admirandâ promptitudine in unum contulerint: ita illos Beatissimæ Virgini devotos dicimus, qui ipsius honori sua consecrant; eritque vera erga Beatissimam Virginem devotio: Prompta voluntas exequendi ea quæ

sunt ipsi grata, quæ ad ipsius gloriam cedunt. Ex quibus rectè inferes: producta ipsius honori jejunia, orationes prolixas, longinquas peregrinationes, non esse propriè Devotionem ergà magnam DEI Matrem: sed vel esse ejus effectus, si nascantur ex supradicta prompta voluntate serviendi Beatissimæ Virgini; vel certè esse media, per quæ quis ad eam perveniat. Quod si hujusmodi obsequia neque sint effectus, neque media, superest, ut sint mera umbra, & larva Devotionis; utpote quæ nec supponunt illam, quam diximus promptitudinem voluntatis, nec eam procurant; adeoque verus nummus non sunt, qui fidem mereantur; sed sunt nummus, qui veri quidem mentitur imaginem, ejus, tamen valorem & pretium minimè habet; dignus qui veluti adulterinus, à mensa Paradisi exclusus, non recondatur in arcam, sed in cloacam projiciatur.

*Aurum eorum erit in sterquilinum.*  
Ezech. 7. v. 9. His positis: quâ ratione

Si censebuntur Devoti erga Beatissimam Virginem, qui in rebus modo dictis ei adversantur: quibus satis est obsequia quædam exteriora ei detulisse? detrectantes interim exhibere id, quod præ cæteris ipsam delectat; quod est, renuntiare peccato. Quis dicet hos gerere promptam voluntatem serviendi Beatissimæ Virgini? aut curare illa, quæ ipsi grata sunt? aut gloriâ ejus quærere? imò si rectè advertas, animum eam fallendi in his deprehendes. Gabaonitæ, ut subducerent se rigidæ sententiæ, quâ Josue animadvertibat in habitatores Terræ promissæ, occurrerunt ei vestibus laceris, panes, quos portabant, duri erant, utres eorum scissi, calceamenta perantiqua, tanquam qui multum viæ confecissent ad inveniendum Josue, cui quærendo, vix loco moti erant. Ita prorsus hi peccatores nil aliud intendunt, quam ut vindicem DEI dexteram à Justitia divina, in homines impios, his non dissimiles,

quandoque protensam, à se removeant. Ideoque Beatissimæ Virgini Devotos sese exhibent, attritis quibusdam, falsæ potius, quàm veræ pœnitentiæ induvijs vestiti: scilicet, exteriore quodam in pauperes misericordiæ, pio quidem sed violento opere: recitatione Rosarij, quidam in Sabbatho abstinentiâ; atque ita conantur Virgini persuadere, tanquam illi essent, qui ei reperiendæ multum itineris confecerint, cum tamen vix aliquot passibus, imò vix domo sua, id est à depravata peccandi consuetudine digressi sint. Verùm non ita feliciter Beatissimam Virginem hi fallent, sicut Gabaonitæ fefellerunt Josue. Si enim hic inconsulto Domino Gabaonitas in gratiam recepit, Os Domini non interrogavit. Jos. 9. v. 19. Ideoq; deceptus fuit: Illa autem in DEO videt omnia. Non poterit juxta definitionem supra datam, esse vera devotio erga Beatissimam Virginem, ubi non est prompta voluntas ei placendi.

VERUM ne peccatoribus omnem fiduciam, quam in Beatissimam Virginem repositam habent, prorsus adimamus, néve Beatissimam Virginem illo cultu, quem à peccatoribus recipit privemus, placuit hac distinctione uti. Sunt nonnulli peccatorum, qui sanari minimè cupientes, acceptas plagas sua obstinatione exculcerant; alij verò sanitatis cupidi anhelant pium quendam Samaritanum, qui balsamum infundat vulneribus jam exasperatis. Hujus secundæ sortis peccatores, non despondeant animum: esto enim verum sit, illos nondum habere veram Devotionem erga Beatissimã Virginem, quia nondum habent promptam voluntatem amore Ipsius deserendi peccatum, sunt tamen in via illam habendi, quia habent aliquam, peccatum deserendi voluntatem, licet infirmam & remissam. Primum nascentis diei lumen non est dies, sed paulatim in diem ex-

crescet. Qui tam afflictæ sortis sunt  
 prosequantur cœptum, commendent  
 se magnæ Matri, nulla dies abeat, quin  
 toto cordis affectu rogent ac suppli-  
 cent, ut illas deploratæ servitutis ca-  
 tenas, quibus vinciantur, disrumpe-  
 re dignetur: *Solve vincla reis*: post ta-  
 lem auroram certò orietur ipsis sol  
 Justitiæ, cujus MARIA est prænun-  
 cia. Hoc proprium Virginis officium  
 est ad DEUM deducere peccatores:  
*Mater mea esca dulcissima est, quâ ad me  
 peccatores traho.* Dixit Dominus dile-  
 ctæ suæ Catharinæ Senensi. Dial. c. 4.

Sed nunquid primæ sortis peccato-  
 res, *Qui non dant cogitationes suas, ut re-  
 vertantur ad Dominum.* Ose. 5. v. 4. cenfe-  
 buntur & Ipsi inter Devotos Beatissi-  
 mæ Virginis? haud quaquam: imò  
 ne quidem, ut censeri mereantur, in  
 via sunt: quin potius viâ contrariâ  
 gradiuntur: adeóque his, qui Beatif-  
 simæ Virgini Devoti sunt, accenseri  
 non possunt. Rectius illos inimicis  
 Virginis junges; quia præ se quidem  
 fe-

ferunt cultum Virginis; interim sic animo comparati sunt, ut offensas in Filium ejus, quantum possunt, malitiosè accumulare non desinant. Quid iniquius? quid fraudulentius? Rex David rebellem filium, & populum oppugnaturus, præcepit militi sibi fidei: *Servate mihi puerum meum Absolon.* Hoc ipsum Virginis est præceptum: servate mihi puerum meum JESUM. Quotquot sub regio Virginis labero militant, credant sibi dici: servate mihi meum dilectum JESUM: debitum ei honorem date, ampliorè illo, qui olim debebatur Parricidæ Absaloni. Quod si reperiatur temerarius quidam Joab, qui innocentissimi Filij corde crudeliter transfixo, revertatur tribus lanceis, sanguine adhuc calenti cruentatis, non, ut animo pœnitente & humiliato, eas ad pedes Virginis deponat, sed ut in crudelia vulnera eas exacuat: an hoc monstrum inter Devotos tantæ Matris censebitur? Jam verò res ita se ha-

bet. Fides nos docet, peccatum mortale semel intulisse Christo mortem: inferretque secundo, si vires peccatoris essent malitiæ æquales. *Malum culpa, quantum est ex se, est destructivum boni Divini, si destruit posset; sicut amor amicitia erga DEUM, est causativum boni Divini, si causari posset, ait Cajeta. l. p. q. 19. ar. 9.* Quomodo ergo fieri poterit, ut quispiam arma manu gestans, cum intentione Christiū JESUM quotidie magis magisque lacensendi, gloriari possit, se esse Magnæ ejus Matris Devotum, ideóque confidat se ab ea protegendum, præservandum, quin etiam ab Ipsa præmio munerandum? Ah! hoc ipsum est majores ei contumelias irrogare. Ita te compello: Vel existimas Beatissimæ Virgini non displicere peccatum? & hoc ipsum satis est, ut illam ream facias: *abominabilem, sicut ea, qua dilexit. Ose. 9. v. 10.* Vel existimas ei displicere? Quod si ita est: quæ potest ignominia major Ipsi irrogari, quàm quod tibi per-



persuadeas, te posse obsequijs tuis Iam ita tibi devincire, ut peccatum tuum protegat? Visne ut grata sint ei obsequia tua, quæ tractu temporis offensarum tuarum, quas tantopere averfatur, cumulum accumulent? Fateor Christum dedisse mundo Beatissimam Virginem, non tantum, ut utatur eâ velut escâ, qua trahat ad se carnalia corda; Peccatorum nempe, qui ad emendationem propendent; uti paulò suprâ ex S. Catharina Senensi asseruimus; Verùm etiam uti utatur eâ, tanquam Magnete, quò trahat corda ferrea peccatorum, quæ in malitia sua obduruerunt: uti S. Birgittæ dictum legimus Revel. l. 3. c. 32. Ah, ah! ah portentum iniquitatis! Nolunt peccatores isthoc magnete deinceps trahi ad DEUM, sed desiderant ut Beatissima Virgo sacrilegæ ipsorum libidini secundet; non verò ut ipsis dominetur: & ita conantur hunc ipsum Magnetem in suas partes trahere. Et quid, vel in mentem venire

potest Beatissimæ Virgini magis injurium! Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; exclamat Apostolus Rom. 24.

Agricola uliginosum fundum amat, sed eâ spe ut siccum & frugiferum reddat: ita omnino misericordia. Hâc intentione solâ potest amare peccatores, ut tantarum fordium, quibus immerguntur, sentinam exsiccet, & præteritam sterilitatē uberrimo pœnitentiæ fructu compenset. Cui bono consequendo nisi intenderet misericordia, esset insipientia, esset malitia. His positis: estne verosimile, quòd Beatissima Virgo habeat inimicos magis infestos, quàm qui ejus benignitatem velut scutum suæ in peccatum propensione animosè obtendunt? Hi enim sunt, qui coronæ ejus præfulgidam illam, quâ caput ejus exornatur, & passim condecoratur, stellam surripere conantur. Necessè erit, ut hoc piissimo *Matris misericordie* elogio se abdicet, si misericordia

Ipsius

Ipsius, peccatorum numerum, quem imminutum vellet, adaugeat. Imò si ros ejus, quem tam largè è cœlo depluit, venenato huic viperarum genimini transeat in toxicum, oportebit, ut rorem gratiæ suæ in fulmina mutet; & titulo Matris iræ induta, sit prima, quæ crudele ipsis bellum dicat, quæ confundat, quæ condemnet: imò suis Ipsa pedibus, maledicti hujus geniminis capita conterat; quæ sitiunt ejus lac piissimum, sed quò veneni plus imbibant.

## §. IV.

Quid his fiet? itane verò breves illas, quas Beatissimæ Virgini orationes recitant, jejuna illa, quæ ejus honori servant jejunia, intermittent? non visitabunt ei dicatas Ecclesias, nec induentur Mariano habitu, nec cingulo Beatissimæ Virginis se accingent? minimè: sed altius colliment, ne in cassum jaculentur. Protestentur coram Magnâ DEI Matre, quod

hæc sua obsequia eò velint directa, ut moveant Ipsam ad impetrandum sibi vires effringendi catenas peccati. Si velut infirmi in lectulo depravatæ consuetudinis, enerves, nullo sanitatis desiderio teneantur, hoc ipsum quo carent, desiderium, ab ea enixè flagitent, & hoc desiderium pignus salutis erit, vel, ut melius dicam, sanitatis principium; quia, quod vulgo constat. *Pars sanitatis est, velle sanari.*

## PARS PRIMA.

Motiva, quæ ducunt ad veram Devotionem ergà Beatissimam Virginem consequendam:

**E**Xistimo Lectorem ex his indiciis facile discernere veram devotionem erga Beatissimam Virginem, à falsa; ita ut non fallant eum colores, quibus Dæmon quandoque falsam depingit. Superest igitur, ut efficacia quædam motiva pio Lectori suggeram, quibus ad Devotionem Ma-  
ria-

rianam exstimuletur. Cum Devotio semper nascatur ex amore, velut ex causa proxima, ita ut hujus incendii ipsa devotio quædam flamma sit; solis hujus Ipsa radius; fontis hujus Ipsa rivus sit; consequens est, ut ea motiva, quæ nos excitant ad amandum Beatissimam Virginem, excitent nos pariter ad illius devotionem; efficiendo nos promptos ad ea, quæ à nobis exigit, vel honoris, vel observantiæ obsequia. Duabus ex causis redditur objectum singulariter amabile, vel quia in se ipso bonum est, vel quia nobis bonum est: similiter, duo modi perfectionis in quolibet amore considerari possunt; alter qui amori substantialis est, & dicitur appetitativus, alter accidentalis, & ab effectûs tenerritudine, nomen teneri amoris sortitur. Cùm ergò Te man ducturus sim, non ad qualemcunque Devotionem ergà Beatissimam Virginem, sed ad eam, quæ purissima & perfectissima est; exhibebo Tibi Dominam,

omni ex parte, qualis revera est, amabilem, & respectu sui, & respectu nostri: & in corde tuo excitabo ergà Ipsam affectum intensum, quem veluti tributum, summis ejus meritis & existimationi debitum pendas. Contraxi ad septem capita, motiva illa, quæ Beatissimæ Virginis amorem in nobis accendere possunt: hunc verò numerum consultò elegi conformem diebus hebdomadæ, quibus singulis Tibi alimenta ministrem, meditationi, aut lectioni congrua. Diversa illa quidem, sed utilia; quibus vivum serves illum affectum, qui verè ignis est, sed qui omnium citissimè emoritur, si vel unquam fovere neglexeris.

## C A P U T I.

Primum motivum Devotionis ergà Beatissimam Virginem:

*DEI singularis erga Ipsam Amor.*

§. I.

**S**icut olim pondera, ut essent justa, ad famosam sanctuarij bilancè exig-

ge-

gebantur, ita, ut & nos iusto pondere res æstimemus, necesse est, æstimati-  
oni divinæ nostram conformemus. Illius enim infinita sapientia, est pri-  
mum illud mobile cui & in cœlo, & in terra omnes cæteri motus com-  
menfurari debent. Interim, si mon-  
stravero esse in explicabile, quàm DEO sit chara Beatissima Virgo, mon-  
stravero pariter, esse in explicabile, quàm Beatissima Virgo nobis chara esse debeat. Quo in pretio apud di-  
vinum Salomonem sit hæc sponsa, non dignoscitur melius, quàm ex compa-  
ratione aliarum, quas diligit, Creatu-  
rarum. *Adolescentularum, inquit, non est numerus. Sed quid? Una est perfecta mea.* Cant. 6. v. 7. Possem hic in nuce tibi Iliadem exhibere, afferendo hanc Reginam solam, esse sponso suo chariorem, quàm quotquot reliqua-  
rum in ejus aula sunt. Id namque audacter astruunt Sancti: Bonaven-  
tura in spec. Mar. c. 6. Anselmus de Excell. V. c. 4. Augustinus apud S.  
Bo-

Bonav. l. c. & super omnes Theologos P. Suarez 3. p. t. 2. disp. 18. Sec. 14. dicens: *Deus plus amat solam Virginem quàm reliquos Sanctos omnes, Sit suus Veritati locus.* Huicne poterit assertioni deesse probatio? si amor Christi ergà singulos electos, est intensior, quàm sit omnium electorum amor erga Christum: expendite, quâ intensione amet Beatissimam Virginem; si quidem Illam plus amat, quàm omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, omnes Martyrum, crudelissime excarnificatorum Myriades; omnes Angelos & Archangelos, omnes sublimissimorum Seraphinorum choros, & ut paucis absolvam, quàm omnem in terra militantem, in cœlo triumphantem Ecclesiam: ita, ut si necessitate impossibili adigeretur Deus, perdere vel hos omnes, vel unam Beatissimam Virginem, vellet præ hæc unica cæteros, quotquot demum sunt, omnes perdere. At quamvis hæc compendio dicta, perstringant om-



omnia, quæ dici possunt; attamen sicut loci distantia per singulos passus, accuratius, quàm uno intuitu oculi mensuratur; ita & existimatio si de singulis sigillatim discurremus. Assero itaque quod *Beatissima Virgo sit primogenita in ordine gratiæ, & in ordine gloria*: adeoque, quod obtigerit Ipsi, non tantum major, & potior pars hæreditatis paternæ, verùm etiam major & potior pars paterni affectus & amoris. *Una est Perfecta mea, una est.* Consideremus eam primùm in ordine naturæ.

## §. II.

Æternum Verbum, cum primùm digrederetur extra se ad creationem rerum, primis vocibus interpellavit lucem: *Fiat lux.* Vocavit illam voce fortissima, quam excipiunt res, vel adeò distantes, ut nondum sint: *Fiat lux & facta est lux.* Ideoque in sensu accomodo dici potest, quod lux sit *primogenita ex ore altissimi.* Eccl. 24. v. 5. Fuit enim primus di-

divinæ Vocis partus. Unde mirum non est, inter cæteras Creaturas, eadem voce conditas, esse pulcherrimam. Lux, nec Spiritus, nec corpus est, sed inter utrumque quid medium, summâ arte elaborata, tanquam vinculum quoddam, illius commercii, quo cœlum terra aliquando copularetur. Et in hac luce, quis non videat æternum verbum jam à rerum exordio voluisse adumbrare Beatissimam Virginem; Creaturam inter Angelos, & homines veluti intermediam (si ita loqui libeat) ad hoc conditam, ut Paradisum terræ aliquando conjungat. *Ego primogenita* (ratione potiori de se Ipsa dicere potest) *Ego primogenita ex ore altissimi prodivi ante omnem creaturam.* Manifestum est non fuisse inter omnes creaturas primam ratione temporis, quæ tot sæculis ab orbe condito nata fuit; dicitur tamen prima, & dicitur ab initio creata. Eccl. c. 24. 14. Esto enim prima non fuerit in executione, fuit

fuit tamen prima in intentione. Fuit primus DEI effectus in ordine puræ creaturæ: adeoque etiam finis aliorum DEI effectuum. Propter hanc ait S. Bernardus serm. 7. in salve. *Propter hanc totus mundus factus est.* Propter ipsam creata sunt omnia, non tanquam finem ultimum, sed propter ipsam, tanquam finem secundarium spatiosi hujus universi, hæc singulari intentione à supremo Architecto fabricati, ut Beatissimæ Virgini tanquam Reginæ subiceret universum. Si quis miraretur hæc dici, profecto in notitia meritorum Beatissimæ Virginis peregrinum se ostenderet. Christus Dominus, ut evaporaret flagrantissimi amoris æstum, quo ardebat erga S. Teresiam, aliquando dixit ei: *Si non creassem mundum, propter Te solam vellem illum creare.* Ergo sic ratiocinemur: Si non est excessus dicere, DEUM id fabricasse suæ Matri, quod vel uni tantæ Matris ancillulæ fabricavit; profectò Beatissimæ Virgini

gini asseveranter acclamare possumus: *Omnia Tua sunt; Tu autem Christi Christus autem DEI.* Quidquid boni natura habet, totum est propter Te, ô Magna Domina! imò totum Tuum est; & tantum Tuum est, quantum Tu es Christi, Christus vero DEI,

Sicut olim Persiæ Regibus in more fuit, omnes Regni civitates in obsequium Reginae dispertiri, ut alia esset à comis & cincinnis; à corona & torquibus aureis alia; alia ab armillis, à sandaliis alia, alia à reliquo mundo muliebri; ita asserere oportet, DEUM tot diversarum Creaturarum species, veluti populosas Civitates, ancillatui Beatissimæ Virginis destinasse. Viventi in hoc mundo famulabantur omnes Creaturæ, non comendo ejus corpori, quod neglectim habebat, sed ornando Spiritui: cui omnes suppeditabant diversa argumenta, illum, qui creavit ipsas, laudandi, admirandi, amandi, & modis sublimissimis benedicendi, & hâc ratione, uberiore fructu

Au ancillabantur soli Virgini, quam  
serviverint deinceps toti humano ge-  
neri; imò in Ipsa sola, Creaturæ om-  
nes perfectissimè consecutæ sunt su-  
um finem, qui est instar scalæ rectâ  
deducere ad agnitionem DEI. Ipsa  
enim contemplatione suâ, per hanc  
scalam cæteris omnibus altius ascen-  
dit, descendit nunquam iis abutendo,  
utî omnes faciunt peccando: id quod  
aliud non est, quam iis ipsis gradibus,  
à summo bono recedere, quibus ac-  
cedendum propius esset. Postquam  
verò hoc nostro mundo relicto; in  
quo vixit incognita, Thronum gloriæ  
conscendit, multò plus omnes cre-  
aturæ Illi serviunt, eique plenum de-  
ferunt obsequium: Respectu Ipsius  
sunt instar Regni cui dominatur; re-  
spectu nostri sunt symbola, admirandâ  
congenitæ pulchritudinis imagine  
exprimentia ineffabiles perfectiones  
illius animæ, quâ divinus artifex, velut  
Ideâ quadam creatâ in fabricatione  
universi usus est. Consultò usus sum

hâc voce *Idea creata*, quia ex una parte, imago DEI non potest esse alia, quàm verbum: DEUS enim, dum operatur extra se, alium, quem imitetur, attendere non potest, nisi se ipsum: ex altera parte, Beatissima Virgo signanter gloriatur, se concurrisse cum conditore suo, ad universi hujus creationem, dicendo: *cum eo eram cuncta componens*. Prov. 8. v. 30. ita ut cooperata sit, vel instar finis secundarii, ut supra explicavimus; vel instar *Ideæ*; vel quod certius, cooperata fuerit instar finis, & *Ideæ* simul. Quasi DEUS, quando præparabat cælos suos, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, firmabat æthera, librabat fontes, pendula terræ fundamenta trutinabat; quando solem, stellas, plantas, metalla, marmora, & quæcunque ad decorem universi ordinabat; illius fuisset animi & intentionis, condere imaginem quandam prerogativarum illarum, quas in mundum nobiliorem & opulenti-

orem

de S. Maria, affirmat: DEUM fecisse duos mundos, unum pro hominibus, quem incolatui nostro assignavit; alterum pro se ipso, & esse animam Beatissimæ Virginis Mariæ: & hanc velut imaginem exactiorem primæ Ideæ, nimirum increatæ, fuisse alterius prototypon. Quæ si vera sint, quis existimet conceptum non minùs sublimem quàm pium S. Bernardini, serm. quodam incredibilem esse? dum asserit: Quod si DEUS, post famosam protoplastorum in terrestri Paradiso inobedientiam, mundum statim non redegit in nihilum, id singulariter in gratiam Beatissimæ Virginis factum fuisse: imitatus agricolam, qui annosæ & sterili quercui parcit ab igne & securi, propter examen apum, quod in eâ latere observavit. Imò conceptus hic apparet vero simillimus: si enim ex speciali illo ad Matrem respectu, paulò ante fabricavit mundum, quid miremur; si eadem illâ consideratione mundum

ab interitu vindicavit? Videtur Deum cum perfidis illis primis suæ legis prævaricatoribus egisse, quod Rex Salomon cum Abiathar ingrato sacerdote. Certum est, ait, mille mortes tibi deberi, sed quæ tibi inferenda esset, exilio commutabo, quia revereor arcam, cui toties succollâsti

*Equidem Vir mortis es, sed hodie nocte interficiam, quia portâsti arcam Domini DEI.* 3. Reg. 2. c. 26. Credendum est, idem, Deum dixisse duobus illis refractariis primis parentibus nostris: Mereremini, ut virulentorum serpentum instar, vestra capita conteram, & in vobis extirparem omne semen posteritatis vestræ, quod veneno à vobis hausto infectum, facile ad discet vestro exemplo transgredi præcepta: sed quia video ex semine vestro, post plura sæcula nascituram Virgunculam totam vobis dissimilem, quæ instar arcæ animatæ sint suo exceptura est Filium illum, qui

nunt



nunc solo sinu meo clauditur, poena mortis, vobis justissimè infligendâ, per me licet, commutetur in pœnam exilij, ex hoc deliciarum loco, quo vos indignos reddidistis.

### §. III.

Verùm dum hæc attentiori animo perpendimus, non advertentes dilabimur in nobilissimas Primogenituræ Beatissimæ Virginis prærogativas. Parum fuisset propter Ipsam creatum esse hunc mundum; parum in Ipsius gratiam conservatum; nisi, sicut unicè dilecta est in ordine naturæ, ita esset quoque unicè dilecta in ordine gratiæ. *Una est, perfecta mea una est*: Tertullianus hominem nominat *Curam divini ingenii*: quasi omnipotens ille artifex formando homini se totum impendisset. At longè minor hyperbole erit, si eam Beatissimæ Virgini applicemus. Siquidem ex dignitate

& præcellentiam hujus operis, hoc est Divæ Virginis, certo quodam modo inferre licet, causam primam in productione MARIE se totam applicasse. Nam quando cælos creavit, dicitur eos digito formasse: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* Psal. 8. quando verò Matrem formavit: *Fecit potentiam in brachio suo.* Tanti moliminis fuit elaborare *MARIAM.*

Contemplemur primū conceptum de hac Virgine formandā ex libro Prædestinationis; in quo certum est ei primum locum fuisse designatum; prima inter omnes puras creaturas prædestinata ad gratiam: *Ego primogenita ex ore altissimi prodivi.*

Pro fundamento talis primogenituræ supponendum est: Beatissimam Virginem nullum alium in mente divina locum habuisse, quam in gradu Maternitatis ipsiusmet DEL. Hic ille locus est, quem in ordine puræ

puræ creaturæ occupavit ab æterno :  
 de Christo dicit Apostolus, Rom. I.  
*Qui prædestinatus est ei.* Nostine quis  
 ille? *Qui factus est ei ex semine David:*  
 ut indicet; quod sicut Christus in de-  
 cretis divinis ab æterno, non alius  
 apparet, quàm *Filius MARIE ex se-  
 mine David*; ita Beatissima Virgo, in  
 iisdem decretis, non alia appareat,  
 quàm Mater Christi: ita ut hæc mar-  
 garita, cum hac conchâ tam arctè  
 colligata sit, ut nullus eas separandi  
 appareat modus: nec unquam con-  
 templari liceat alteram, quin eodem  
 obtutu videatur & altera; tanta est,  
 quæ inter eas intercedit relatio. *Si  
 Christus non esset caro, quorsum MARIA  
 in mundum introducta?* Verba sunt S.  
 Ephrem Syri volentis significare. *Si  
 MARIA est opus, solius Verbi incar-  
 nati gratiâ factum; sicuti divinis-  
 simum hoc Verbum, absque ea non  
 assequeretur suum finem, ita absque  
 ea non sortiretur suum effectum.*

Quemadmodum nidus Reginae volucrum Aquilae prae paratus, non est aptus ulli minori aviculae. Neque hic sistendum; quia praedestinatio hujus Matris non tantum includitur in praedestinatione Filij, sed insuper ejusdem, cum hac, modi & formae est: Ut sicuti Christus, tanquam MARIE Filius, quò ad corporis formam, nulli similior est, quàm suae Matri, ita MARIA quò ad animae dispositionem nulli similior est, quàm Filio suo: potestque dici composita ad ideam cordis Christi, sicut Christus est compositus ad Ideam vultus MARIE. Hanc mihi assertionem persuadet Ecclesia, quae magnae huic Matri applicat elogia, à Spiritu sancto, in Proverbijis, & alibi dicta de Filio ejus sapientiâ increatâ: nec minus id ipsum vel inde convincitur, quod Christus in sacris Canticis non infrequenter eam *sororem* nominet: ut intelligamus, Beatissimam Virginem esse primum e&typon unici illius & singularis archetypi; & si ita loqui

loc  
qu  
ge  
ste  
Be  
nit  
sul  
tiv  
ne  
Ac  
est  
ne  
ne  
pr  
m  
op  
pr  
Et  
to  
da  
m  
ill  
es  
n

loqui liceat, Ipsam in mente divina, quasi eodem cum Christo partu progenitam fuisse; adeò ut sicuti Christus est primogenitus per naturam, ita Beatissima Virgo & Ipsa sit primogenita, sed in gradu inferiori, & minus sublimi, per adoptionem.

At quis explicet, summas prærogativas, quas in corde divino supra omnes Sanctos ex hoc capite obtinet? *Adolescentularum non est numerus; una est perfecta mea, una est* In comparatione hujus, cæteri Sancti, quamvis omnes præsto sint, stellarum instar, Sole præsentem non apparent. Ipsa est primogenita, cui cæteræ omnes cedant oportet. *Ego primogenita ex ore atissimi prodivi.* Tantum abest cæteros Sanctos in mente divina nasci primogenitos, ut, si rei veritatem rectè expendas, ne quidem Filij sint; nati sunt inimici: quia quando ab æterno DEUS illos prævidit, vidit prius peccatores esse, quàm justos. Beatissima Virgo, nunquam considerata fuit peccatrix:

prodiit magna, prodiit gloriosa; instar Punici mali, quod à primo ortu coronatū nascitur: ita & Ipsa Regina instar, suprà omnem Electorum cœtū exaltata procedit. Idcirco Ipsa sola, absolutè amabilis, & absolutè amata fuit, quia nunquam aliquid amori repugnans admixtum habuit, scilicet culpam. Unde Ipsi soli gloriari licet, se semper à DEO possessam fuisse. In cæteris Sanctis, DEUS semper habuit jus proprietatis, sed jus possessionis non semper. Infernales enim prædo aliquanto tempore possedit omnes, sola Beatissima Virgine excepta: hæc sola de se dicere potest: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Prov. 8. vers. 22. Nam Dominium DEI in MARIAM nullo unquam temporis momento ab usu separatū fuit. Quare cæteri quidem Sancti à Christo redempti sunt inferiore quodam redemptionis modo, qui consistit in liberatione à servitute & jugo diaboli. Beatissima Virgo, tanquam primogēnita

nita redempta fuit illo redemptionis modo, qui consistit in præservatione à dicta servitute; idque tanto amoris excessu, ut pro ea moriendi, & morte sua eam redimendi gratia, Christus adventum suum in mundum acceleraverit. Et quid dico accelerasse? S. Bernardinus affirmat, non accelerasse tantum, sed ejus amore venisse. Nam potius venit redimendæ soli MARIE, nobili illo redemptionis modo jam dicto, quàm toti humano generi, quantum quantum illud erat, redimendo. Hoc est quod S. Iudephonsus indicare veluisse videtur, dum inquit: MARIAM fuisse non tantum primum, sed unicum objectum DEI, hominem induentis: *Virgo Mater DEI*, ait, *solum opus Incarnationis DEI mei.* lib. de V. Mar. c. 10. Non quod DEUS homo factus, totius humani generis redemptionem non intenderet, sed quod illa, comparata Redemptioni Beatissimæ Virginis, leve quid, & exiguum esse videretur. Dignum planè

opus fuit MARIA, cujus bono prodigeretur immensus thesaurus, qui erat sanguis JESU Christi: propter Ipsam tanti labores utiliter exantlati, propter ipsam tot sudores fructuosè fusi sunt. Et revera Christus ex infinito meritorum thesauro Ipsi soli incomparabiliter plus gratiæ contulit & gloriæ, quàm hominibus, imò omnibus simul Angelis. Atque ut ex illo censu, qui profecturus erat à sorte, seu summa, ut ita loquar, capitali universalis Redemptionis, Beatissimæ Virgini, tanquam primogenitæ in ordine gratiæ, mensura superabundantior obtingeret, in Ipsa, unà mecum contemplare omnia ornamenta & decora, in unum collecta, quæ in cæteris, non tantum divisa, sed & disparia reperire est. Nam sicuti in terrestri Paradiso, quò majores essent deliciae, flores verni & fructus autumnii eodem tempore prodibant: pari ratione, quo ampliori gratia Beatissima Virgo ditata appareret; cernimus in Ipsa uniri Vir-

gini-



ginitatem intemeratam, cum Maternitate fœcundissima, comtemplationem sublimissimam, cum activitate vivacissima, compassionem tenerrimam, cum robore, plusquàm virili; sed præ omnibus, dignitatem altissimam, cum humilitate profundissima. Unde si attentiore mentis oculo sponsam hanc inter reliquas à DEO dilectas consideremus, ob eximiam ejus humilitatem cum summa altitudine conjunctam, inter cæteras florum areolas videtur eminere, tanquam lilium dominans, quia instar lilij demisso quidem, sed coronato est capite. Ast harum opum series opportunius alibi censebitur: hic verò, si verba Virginis ad gustum meum explicare mihi fas foret, unum asserere haud dubitarem: Ipsam esse tam magnam in Ordine gratiæ, ut magnificet suum factorem. *Magnificat anima mea Dominum*: dicit de se Ipsa. Sed quo modo? Quis est, qui ignoret, factorem suum à Virgine in se, & in sua essentia, non magnificari?

cari? Magnificat autem illum in consideratione nostra: Sicuti Sol, si videatur per tubum opticum, oculis nostris major apparet. Idque duplici de causa. Primò, quia per Ipsam DEO obtigit maximum, quòd extrà se possidet, encomium; quod sit *DEUS de DEO*. Antequam enim prodijisset hæc magna Mater, erat tantùm DEUS Abraham, DEUS Jsaac, DEUS Jacob, DEUS cæterorum hominum justorum; sed nunc pariter est *DEUS Christi*, adeóque *DEUS DEI*. Deinde, ut faceret hanc Virginem dignam tanto Filio sociam, *Digna Digni*, ut ait S. August. necesse fuit, in eam tantam gratiam congerere, quâ majore cæteris Sanctis omnibus perficiendis, non fuit opus. Unde si liceat ex nobilitate effectûs arguere potentiam causæ, Beatissima Virgo MARIA, dici potest magnificare Dominum, quia in hac animâ solâ apparet major gratia, quàm cæteris creaturis omnibus ab ipso productis. Verissimè igitur Bea-

tissi-

tissima Virgo iterum iterumque intonet: *Magnificat anima mea Dominum. Tanta enim est Virgo, (subjungimus à S. Chryfologo edocti serm. 140. tanta est Virgo, ut quantus sit DEUS, satis ignoret, qui hâc Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Id quod non minus verum est, quàm quod de Salomone dici solet: neminem novisse hujus divitias, qui non vidisset ipsius templum. Quid amplius? Ut sanctitatem B. Virginis æquâ lance trutinent Theologi, hâc inter Ipsam & Christum proportionem utuntur. *Scire vultis qualis sit Mater? cogitate qualis sit Filius.* Hâc S. Eucherius bilance nos instruxit Gemmarijs promore est pari pretio æstimare gemmam & encausticen suam. Sed hoc longè absit à me. Gemma, qualis est hic Filius, infiniti valoris, proportionem non habet, cùm superaddito gemmæ ornamento, quod Mater est. Profectò nihil de alteratrius honore debito imminutum velim: sicut sem-

per Filium illum tali Matre infinities majorem adoraturus sum, ita semper Matrem illam cæteris Sanctis omnibus incomparabiliter majorem venerabor. Credam illam esse primogenitam divinæ gratiæ, esse unicam, unius solius gratiâ creatam; delitium divini cordis, immensum amatam à suo dilecto, sicut & Ipsa in immensum est amans sui Dilecti: nam aliàs foret nimis arrogans illa gloriatio quâ Cant. 2. v. 16. dicit *Dilectus meus mihi, & ego illi. Dum enim dicit; Dilectus meus mihi, & ego illi*, argumentatur S. Bernardus eo loco in Cant. *aut sponsam in immensum gloriatur, aut sponsa in immensum diligitur.*

#### §. IV.

Denique, si natura est propter gratiam, & gratia propter gloriam, in promptu est illatio, quod sicut B. Virgo fuit primogenita in primo & secundo ordine: ita pariter, & in tertio sit primogenita. *Unica, privilegiata, principalis. Una est perfecta mea, una est.*

In

In regno gloriæ nulla sedes est, quæ ad ejus Thronum vel scabelli vices subeat. *Inter Matrem DEI & servos DEI infinitum est discrimen.* S. Joa. Damas. de don: DEI paræ. Quare super ipsa capita Seraphinorum exaltata sublimius, quàm super alios cœlos cœlum empyreum, se sola constituit chorum, quem illuminat Ipsa, à nullo alio, quàm ab ipso fonte Luminis illuminata. Ah utinã amabilis ille cœli genius aliquando & nos invitaret, qui Joannem in fortunata illa Pathmo, ad eam contemplandam, invitavit: *Veni ostendam tibi sponsam agni.* Apoc. 21. Videmus nunquam hætenus visam pulchritudinem: dignitatem hujus Sponsæ elevatæ ad gloriam, mentibus humanis tam sublimem, ut quamvis hæ adreperent in montem magnum & altum, id illis non sufficeret, ad perspicendum ejus excellentiam: Necessè foret, ut Ipsa Virgo humanis mentibus obviam procederet itinere

im-

immenso, prius, quàm cognosci possit:  
*Descendat de cælo à DEO.*

Videremus Illam nova venustate decoram, non modo in gratiâ Sponsi *ornatam*, sed ut alij interpretantur: *Ipsomet Sponso suo: Ornatam Viro suo* Reliquos Sanctos lux ornat: hæc ipso-  
 met Sole ornata est, qui lucem undi-  
 quaque diffundit: *Viro suo*: Alij qui creati sunt, ut acciperent à DEO, pro-  
 pter ipsa DEI dona in honore sunt; hæc quia creata est, ut daret DEO, ip-  
 siusmet donantis gratia in pretio est. *Ornatum Viro suo*: Hic ipse harum nuptiarum magna suppellex est. Videremus charitatem Ipsius adeò insolitam, ut nemo propius accedat ad claritatem Istius, circa quem vel ipsum, quo cingitur lumen, caligo est: *habentem claritatem DEI*. Verbo: quid venustatis & gratiæ MARIAM contemplantes non videremus? sed temporis angustia minimè permittunt, ut tam altè ascendamus: quare si non pertingant oculi mentis nostræ, ad  
 tan-

tantam sublimitatem, demittamus eos submississimè in terram: sufficiatque nobis fidei supplementum, quo imbecillitati visûs nostri opportunè consulitur.

Et sanè, quæ potest esse vitæ nostræ utilior occupatio, quam si impendamus eam, colendæ huic cœlesti Dominæ, quam fieri potest, impensissimè; ex qua, & Ipse DEUS nobis magnus apparet? *Virgo semper amabilis, semper amata, Iris bellissima salutis, divina potentia speculum, gratia templum, glorie theatrum*: facta non tantùm ad imaginem sui factoris, quem reliquæ creaturæ imperfectè adumbrant; sed facta imago sui factoris, quem ad stuporem usque repræsentat. S. Thom. opusc. de char. Fabricata ex costa novi Adæ, præ cæteris omnibus vicina cordi Christi, ideòque cæteris omnibus magis proportionata, cui societur inseparabiliter, & in viâ, & in patriâ: uno verbo *Mater, Soror, Sponsa, dilecta, unica*. Certissimus, nos amando *It-*  
lan

lam non errare, si primus Amor, nostri, erga Ipsam, Amoris Dux esse dignatus fuerit. *Gloria magna sequi Dominum.* Eccl. 23. vers. 38.

## CAPUT II.

Secundum Motivum Devotionis erga Beatissimam Virginem  
*ejus Dignitas.*

### §. I.

**C**onchæ valorem metimur ex illa margaritâ, quam occultè cum cœlesti rore commercio sinu suo, nulli aliàs patulo concipit: ita prorsus mensura honoris B. Virgini debiti, est divinissimus ille partus, quem S. Spiritu operante Virginali utero concepit: non ut avara, veluti thesauri sui tenacissima concha, illum sibi servaret, sed ut non multò post illum toti mundo reparando & publico bono donaret. S. Thomas, ut incomparabilem hujus Domine sublimitatem mensuraret, hac libellâ usus 1. part. q. 25. art.



61. asserit: *Beata Virgo, ex hoc, quod est Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est DEUS, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse DEO. Ut Beatissimæ Virginis dignitas cresceret, necesse esse Ipsum DEUM in perfectione crescere: sed donec reperiatur DEUS, major illo, quem suis Ipsa clausit visceribus, non reperietur altera Mater, Beatissimâ Virgine DEI Matre major: Illam formans potentissimus DEUS extremas suas vires quodammodo exeruit: Nec obstat quidquam, quò minus extemplo creet firmamentum, pluribus ditatum stellis, Olympum sublimiorem, oceanum profundio- rem, tellurem viridiorum, sed creare non potest Matrem Beatissimâ Virgine excel- siorem: Ipsam formando, collatum est in puras Creaturas, quidquid earum, quâ puræ Craturæ sunt, capaci- tas complecti potest; ita ut si dato casu, Matrum DEI numerus in orbe cre-*

cresceret (quod accideret si aliæ duæ personæ divinæ humanâ pariter carne vestirentur: nullus tamen nobilitatis gradus orbi accederet major illô, quo nunc gaudet: *Nihil inde cresceret orbi nobilitatis.* S. Bern. tom. 1. serm. 16. Ex una Beatissima Virgine, tam excellentem nobilitatem sortitur, si non numerô, certè quantam pondere aut mensura sortiri potest.

Est proinde Matris DEI augustissimus titulus, abyssus perfectionis: & ex hac abyssu, tanquam vena indeficiente & inexhausta summi in ea scaturiunt honores, qui ut ita loquar, sine fine ei debentur. Nam sicut filiatione naturalis DEI, est scaturigo omnium honorum Christo præter ordinem debitorum, ita & Maternitas naturalis DEI, est scaturigo omnium honorum Beatissimæ Virgini præter ordinem debitorum. Quis unquam formare possit adæquatum iudicium de amplissimis ejus meritis? DEUS solus. *Tanta est perfectio Virginis,* ait S. Bern.

to. 1. serm. 61. *ut soli DEO cognoscenda relinquatur.* Temeritatis arguemur, si vel oculos in eam intendere voluerimus. Et quid figemus eos in crystallum purissimam, quando sua eam luce Sol illustravit? Id uni Soli concessum est; ad eam cæteræ pupillæ nictant non minus, quàm ad ipsius Solis intuitum. Ne ipsis quidem Angelis eveniet, ut perfectè cognoscant. *Quæ sit MARIA* Hæc prorsus omni obtutui tam incomprehensibilis est, quàm Sol ille divinus, qui se totum in Ipsam transfundit. Observatu dignum est, Angelos ex solenni Filii DEI, & Beatissimæ Virginis Matris in cœlos ingressu, paristupore repletos fuisse. *Quis est iste, inquit, qui venit tinctis vestibus de Borsra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sua.* Isai. 63. Ecce admiratio Angelorum ad ingressum Christi. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cant. 8. v. 5. Et ecce

eorundem admiratio ad ingressum MARIÆ. Utriusque introitus nihil dīversum habet; quàm quod Christus *graditur in multitudine fortitudinis suæ*; & Beatissima Virgo *innititur super dilectum suum*: de cætero talis est eorum incessus, ut & ad hunc, & ad illum, mente confundantur Angeli. Nam & hæc Lux, & ista, tam ea, quæ Solis est, crystallum illuminantis, quàm quæ crystalli est, à Sole illuminati, tanta est, ut perspicaciam supernarum illarum Aquilarum pariformiter superet. Sed quid de horum perspicacia loquar. Ipsam usque adeò Beatif. Virginis intelligentiam excedit. Quamvis enim esset tam vastæ capacitatis, ut suis visceribus DEUM Hominem caperet, Ipsius tamen intellectûs nunquam assecutus fuit, quanti sit DEUM utero complecti. Idcirco gratitudinis actum elicitura pro dignitate, ad quam se assumptam videbat, reperire non potuit voces satis significantes: prout notat S. August.

inquiens: *Nec Ipsa explicare potuit, quod capere potuit.* Oportuit Ipsam compendio dicere: *Fecit mihi magna qui potens est.* quasi quæ incassum quæret aliam arundinem, quâ tanti templi altitudinem metiretur, quàm omnipotentiâ DEI. Et fortè huc allusit Angelus, quando singularem hanc, de qua loquimur, dignitatem, Beatissimæ Virgini annuncians, usus est his vocibus: *Virtus altissimi obumbrabit Tibi* Luc. I. 35. non dixit absolutè, *obumbrabit Te.* quia Lux illa magna superventura Beatissimæ Virgini, non eam sic occultabat, ut ne quidem Ipse DEUS Illam cognosceret; sed dixit: *Obumbrabit Tibi,* id est, *Te Tibi obumbrabit:* nimirum ita absconde *Illam,* ut ne quidem *Ipsa* agnitura sit se *Ipsam;* ad normam illius, quem densæ nebulæ circumdant: hic enim Lucem quidem habet, sed quæ magis obscurando, quàm illuminando visui sit apta.

Cùm

Cum igitur dignitas Beatissimæ Virginis suo modo sit infinita, adeoque vanum sit sperare plenam & perfectam ejus notitiam, quia juxta Philosophum: *infiniti nulla cognitio*: nihilominus decet MARIAE Devotos allaborare, ut eam, quantum fieri potest agnoscant; hic enim primus conatus in Ipsius honorem cedit. Consideremus eam membratim, & exiguum illud, quod de objecto tam sublimi fuerimus affecuti, sit nobis in pretio & amore: sicuti Astrologi pluris faciunt, exiguum illud, quod de Stellis cum probabilitate intelligunt, quam vasta spatia, quæ Geometræ Globo terræ cum evidentia pingunt.

§. II.

Hæc Maternitas primò considerari potest, in statu suo, si ita loqui libeat, materiali; & quamvis hæc sit ipsius infima dignitas, tanta tamen est, & tam sublimis, ut oculus humanus ad eam cæcutiat. Indubitatum enim est, quia aliqua particula Virginei corporis hy-

po-

postaticè fuerit unita divinæ personæ,  
 tam in prima efformatione Corporis  
 Christi, quàm in prima augmentatio-  
 ne & alimentatione ejusdem, cum pri-  
 mum formatum fuit. Quo posito,  
 etiam verisimile est ex pluribus argu-  
 mentis, quod prima illa substantia à  
 Christo ex purissima Virgine Matre  
 assumpta, semper remanserit in ejus  
 glorioso corpore, augmentata qui-  
 dem, sed non mutata. *Caro Christi*, ait  
 Sanctus Augustinus serm. de Assumpt.  
*Caro est MARIÆ; & quamvis gloria*  
*Resurrectionis fuerit magnificata, eadem*  
*tamen mansit, qua assumpta est de MA-*  
*RIA.* Id quod attentiori deinde ani-  
 mo expendens Sanctus Petrus Damia-  
 ni serm. de Nativ. quasi extatico stu-  
 pore extrà se raptus, asserere non du-  
 bitavit, DEUM esse in Beatissima Vir-  
 gine *per identitatem*: *Cùm DEUS in*  
*alijs rebus*, inquit ille, *sit tribus modis,*  
 ( per essentiam, per præsentiam, per  
 potentiam ) *in Virgine fuit quarto spe-*  
*ciali modo, scilicet, per identitatem, quia*  
C
*idem*

*idem est quod Ipsa. Hinc taceat & contremisecat omnis creatura: quis enim audeat aspicere tantæ divinitatis immensitatem?* Nonnulli volunt, quod Cor infantis in utero materno non habeat motum proprium, sed moveatur ad motum materni cordis: id quod non existimo verum esse; est tamen verius, infantem ex utero matris non respirare; Unde videtur non alium habere spiritum, quàm Matris habitum: & hinc quodam modo dici potest, Beatissimam Virginem, quàm diu in utero gestavit divinum Verbum, vitam ejusdem verbi fuisse, quia spiritum ei subministravit: ideóque *Verbum caro factum*, donec utero Beatissimæ Virginis clausum fuit, hanc agnovisse suam vitam, à qua spiritum suum habebat, adeóque fuisse *Idem quod Ipsa*. Quin & S. Thomas p. I. q. 13. a. 5. illius fuit sententiæ, foetum esse eundem cum sua Matre; pari modo quo fructus cum arbore idem est. Unde docuit Angelum custodem non



assistere nobis à Conceptione, sed tantum à Nativitate, nimirum, quando fructus maturus avellitur ab arbore: & juxta hanc doctrinam asserere potuit, benedictum illum, Matris nunquam satis celebratæ, foetum, adeò fuisse unum cum Ipsa, ut quasi eadem res fuerit. *Idem quod Ipsa, erat enim fructus ejus: Fructus Ventr̃is.*

## §. III.

Mentis impos est, quisquis non experitur animum suum ingenti quodam stupore defigi: tamen Maternitas, ut dixi, hoc materiali modo considerata; est infimum Beatissimæ Virginis encomium. Quid erit, si consideretur moraliter, ut includens omnes illas prærogativas, quæ ex natura rei Ipsi debentur? Fateor mentem meam ad earum considerationem vacillare, & potentiam imaginativam, veluti fortunatâ quâdam vertigine circumactam, absorberi: nam in tali gradu considerata Maternitas divi-

na sublimissima est, ad quam pura creatura, modò suis subsistat limitibus, ascendere non possit: est summa Creaturæ cum summo bono conjunctio; tanta est vicinitas cum DEO, qui proximum non habet, utpote, qui ab omnibus infinitè distat; ut S. Thomas alijs eam verbis explicare non potuerit, quàm dicendo, quod *Maternitas hac, suâ operatione fines divinitatis propinquius attingit. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. & hoc sensu Beatissimam Virginem dixit affinem DEO, quasi confinem, ut interpretatur Cajetanus ibid. Potest enim non minus propriè dici affinis DEI, imò cognata, quàm potest, imò debet propriè dici Mater. Idcirco Beatissimæ Virgini debetur cultus specialis & proprius, qui sine comparatione sit superior illo, qui defertur cuicunque Sancto; quia dignitas Ipsi est alterius ordinis, quodam modo pertinentis ad ipsam unionem hypostaticam, & cum hac necessariò conjunctam. Hinc Beatissima Virgo*

in

in ordine gloriæ constituit chorum  
per se ipsam, uti supra dictum est, non  
modò suprâ omnes cæteros cœli em-  
pyrei Principes, quæ ipsius DEI sedes  
est, verùm etiam suprâ cœlos inferio-  
res in hominis gratiam creatos.

Vellem sanctissima Mater explica-  
re cordis mei, de Te, sensa sed verba  
deficiunt; at forte conceptus ille, qui  
sequitur me sublevabit. Celebris illa  
Machabæorum Mater, omnibus in  
summâ veneratione est; & meritò:  
nam septem partus edidit tam gene-  
rosos, ut superbum illum Antiochum  
Tyrannum non solùm despexerint,  
sed & ei insultaverint. Imaginamini  
vobis hanc Matrem, non modò exi-  
guum illum, attamen generosum  
Martyrum manipulum, mundo pepe-  
risset; verùm etiam phalangem illam  
decem millium Martyrum, qui famo-  
so in monte Ararath crucifixi, ipsas  
Armeniæ sylvas pluribus victoriæ pal-  
mis, quàm unquam Palæstina viderit,  
suo sanguine fœcundârunt, felicissi-

mo partu huic orbi genuisse. Possentne amplior ei honor decerni? & si non hanc tantùm phalangem decem millium Martyrum peperisset, sed exercitum illum, quatuordecim millionũ, quos in Ecclesiæ catalogo censet Genebrardus ad sua usque tempora; quantæ excellentiæ id esset? quin & si Martyribus istis numerus accenseretur major, Pontificum, Confessorum, Eremicolarum, Virginum, pacata Ecclesiæ tempora sanctimoniã non minùs quàm tot sancti Martyres admirandis prælijs, & gloriosis certaminibus illustrarunt. An non hæc Mater, præ Matre Machabæorum, mereretur à Spiritu sancto, ad immortalem ejus gloriam, posteris commendari hoc elogio singulari. *Suprà modum autem Mater mirabilis & bonorum memoriã digna.* 2. Mac. 7. Et quæ, obsecro, hæc Mater? imò si foret Mater omnium simul Beatorum, quin & si fieri posset, Mater omnium Angelicarum Hierarchiarum; in quo tandem ho-

honoris gradu illam collocandam autumas? quid tandem? Nec digna esset, quæ ancillaretur Magnæ DEI Matri. Attendite igitur, & videte, quantum honoris culmen Magnæ DEI Matri debeatur.

Sed num hæc, quâ gaudet, Maternitas, solùm Augusta; sed sterilis est? haud quaquam. Imò similis est nemoribus Libani in quibus pulchritudo fuit æmula abundantia. Sed quorsum hæc dicta? Maternitas Beatissimæ Virginis non fuit fructu vacua dignitas, sed fructum sine fine protulit. Quia comparavit sibi summæ æstimationis dominium, non modò in omnes Filij sui inmensos thesauros. Suar. in 3. p. t. 2. dis. 1. sect. 2. Sed quod plus est, in ipsammet ejus personam, cui tanquam vera Mater imperabat. Josue militiae Hebræorum suo ævo gloriosus Princeps, cum fugatos hostes, quos fuga salvare haud poterat, victorum gladijs ob ingruentes tenebras subduci adverteret, animo plus quam

quàm humano imperavit Soli. Josu. 10. v. 13. *Nemovearis.* Nescio an spectatorem, an socium Victoriæ voluerit; & ad naturæ stuporem, Sol, hactenus nullam remoram passus, in medio cursu, cursum stitit: *Stetitque Sol in medio cœli, spatio unius diei.* Sed quantò majus miraculum parietes cæsæ Nazarethanæ, quam Beatissima Virgo habitabat, conspexerunt? non unius diei spatio, sed ipsos triginta annos: Viderunt Solem jam sisti, mox moveri, mox iterum sisti ad nutum unius Virgunculæ: *Obediente DEO voci hominis.* sed hâc differentiâ; Josue obedivit Sol, quia voluit: Beatissimæ Virgini, quia debuit. *Erat subditus illi.*

Ex mente Doctorum, Cultus ille quem Filius Matri debet, est quintuplex: Amoris, Reverentiæ, Subventionis, Gratitude, & Obedientiæ. Porrò scio multos, ob supremam Filij potestatem, quam in omnes creaturas, ad eò que & Matrem habebat, Chri-

Christum ab obedientia voluisse exemptum : sed & scio, multos sentire contrarium. Vid Salazar in Prov. c. 8. n. 14. &c. Cùm enim ob conditionem hominis subiectus esset, consequens est, quod & huic piissimæ Matri suæ subditus fuerit. Nec id quicquam excellentiæ Christi derogat : quia Dominium Paternum, ex mente Aristotelis, non aufert à filiis eam Libertatem, quam Herilem dicimus, nec facit, ut minus inclyti, minusve ingenui sint. Ideoque poterat Christus esse sub patriâ Virginis potestate, & tamen esse, qualis reverà erat, Rex natus, at qui sceptrâ Regni nondum moderaretur. Sed etsi Divinitas ab incunabulis emancipaverit Christum à patriâ Virginis potestate, sufficiat ad ejus honorem dixisse, quod obdiderit, quasi subditus; *Erat subditus illi* : non enim obedivit unicâ tantùm vice, circumstantiâ tantùm unâ, uno casu, sed semper, tanquam qui subiectus est. Hoc loquendi modo uti-

tur S. Bonaventura in Spec. V. c. 8.

*MARIA DEUM sibi subditum habuit: ita, ut pro gloria Beatissimæ Virginis hæc infallibilis veritas affirmari possit: Tam excelsæ dignitatis eam esse, ut in rigore etiam Legis, *Esset Filio superior, nisi Filium haberet DEUM.**

Sed quid animus tibi suggerit, ô Lector, dum de pulchrâ hac DEI Civitate audis dici tam sublimia, quæ in summam ejus gloriam cedunt? Arbitror nec scintillam Devotionis esse in pectore tuo, nisi senseris eam paulatim in flammâ exardescere: attamen nondum finis dicendi.

#### §. IV.

**A**Djungamus hinc, hanc tam excelsam dignitatem non fuisse imbrem aureum suâ sponte in sinum Virginis delapsam, sed Thesaurum magno Ipsius studio conquistum Plurimum enim sententia est, Ipsam meruisse hanc suam Maternitatem, non quidem de condigno (nam præmium nul-



nullum majus, sub humanum meritum cadere potest, quàm æterna beatitudo) sed de congruo: ita enim ad eam obtinendam se disposuit, ut omninò conveniens fuerit & congruum, hanc à DEO Ipsi concedi.

Observare te velim, Virginem, quando velut *Signum magnum* apparuit in cœlo; apparuisse non tantùm Sole tectam, verùm & *mulierem amictam* Sole: & quid hæc nobis indignant? nisi quod splendidissima illa dignitas Ipsi uni collata, non secus ac Sol unus mundo, tota Illi aptata fuerit. Res magna censeripoterat, si Sol huic Regiæ Infanti à papilione servivisset: quantum igitur miraculum videre, quod serviat ei ab amictu? qui nunquam rectè talis dicitur, nisi saltem aliquo modo sit accomodus humili vel proceræ staturæ ejus, quem amicit. Missas faciamus metaphoras; Annon infinitè æstimanda foret Beatissima Virgo, etiamsi absque ullo præcedente suo merito ad dignitatem Ma-

tris DEI elevata fuisset : ita sanè est. Novimus, quis honor Bersabeæ, quæ absque ullo suo merito, imò summo suo demerito Mater Salomonis est facta, delatus fuerit. Quo igitur in pretio habenda est, quæ ita se disposuit ad tam eximiam dignitatem, ut eâ fuerit de congruo investita, quin & vestita : donata namque fuit corpori sancto, quale erat Beatissimæ Virginis, tanquam vestitus, qui tunc corpus ornat, quando est corpori accomodus. *Mulier amicta Sole.* Certum est, quod Ecclesia congratulans Beatissimæ Virgini, solenniter ejus meritum deprædicans, canit : *Quem meruist portare, resurrexit.* Id quod quocunque sensu concedatur, semper in Ipsa maximam sanctitatem præsupponit. Hinc est, quod Viri sancti Ipsam modo *dignum altissimi habitaculum*, aliàs *dignum Tabernaculum*, modò *dignum Thronum* appellare audeant. Si enim de condigno non meruit DEUM sinu suo excipere, uti fert opinio probabilior

bilior, certum tamen est, quod condignè se disposuit ad eum excipiendum. Teste S. Ambrosio dum inquit lib. de Virg. *Digna fuit ex qua Filius DEI nasceretur.*

In ordine naturæ, Viventia non generant prius, quàm ad statum perfectum pervenerint: quod si eadem norma servetur in statu gratiæ, quis explicet, quanti perfectionis status fuerit requisitus, ad gignendum DEUM, idque condignè? S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. hoc ipsum explicans ait: *Quod femina conciperet DEUM, fuit miraculum miraculorum: Oportuit itaque Virginem elevari, ut ita dicam, ad quandam quasi æqualitatem divinam, per infinitatem aliquam & immensitatem perfectionum, qualem nulla creatura unquam experta fuerat. Ferrum, ut ignem producat, necesse est, ut in fornace substantiam ferri quodam modo deponat, & transeat in ignem: ita omninò oportet, ut creatura, quæ DEUM genitura est, de-*

sinat esse creatura, & fiat, non dicam ;  
 DEUS, sed Divina ; si non per natu-  
 ram ; saltem per participationem sub-  
 limissimam. Tantam sanctitatem, pu-  
 ritatem, claritatem, tantam gratiam  
 requirit dispositio, ad opus adeò sub-  
 limè : & hæc nos balbutiendo effa-  
 mur ! Conceptum, saltem adæqua-  
 tum, mens nostra non exprimit per  
 ea, quæ calamo fuggerit. Faciam,  
 quod exploratores Terræ promissæ ;  
 ut Filiis Israël ad vivum exprimerent  
 ubertatem plantarum illic germi-  
 nantium, *Tulerunt palmitem cum Uva,*  
*quem tulerunt in veete duo viri. num.*  
 17. Ecce Matrem DEI, Filium in ulnis  
 gestantem ; *Palmitem cum Uva.* Hæc  
 sit Judicij nostri, de excelentiâ Virgi-  
 nis norma ac regula : si nôsse vo-  
 les. Quæ sit *MARIA*, ne contemple-  
 riseam seorsim à *JESU*.

## C A P U T III.

Tertium Motivum Devo-  
tionis ergà Beatissimam Virginem  
*ejus Sanctitas.*

## §. I.

**D**ivinæ Providentiæ non conveni-  
rent hæc duo encomia *Suavis* si-  
mul & *Fortis*, nisi finis, quem fortitudi-  
ne suâ intendit, convenientia media  
pari suavitate adaptaret. Ita DEUS  
volens Beatissimam Virginem Ma-  
trem suam super omnes Creaturas  
amari & honorari, oportuit, ut Ipsam  
super omnes, honore pariter & amo-  
re dignam efformaret. Hic tibi facem  
præferam in profundam illam abyf-  
sum Sanctitatis Beatissimæ Virginis,  
in quam necesse est, te paulatim de-  
mitti, ut absque periculo interitûs  
per eam incedas, quamvis offensurus  
sis in conceptus, quos Sancti uno ore  
de eâ edisserunt: conceptus tam  
sub-

sublimes, ut primâ fronte videri possint vel erronei, vel hyperbolici.

Tres sunt causæ, quæ declarant nobis illam gratiæ plenitudinem, quæ in alios Sanctos stillatim delapsa est: *Sicut stillicidia stillantia super terram: sed in Beatissimam Virginem solutis cataractis depluit sicut pluvia in vellus: ut vel hinc gratiæ abundantiam conicias.* Finis denique hujus gratiæ est illa cooperatio, quâ Beatissima Virgo concurrit ad novam gratiam, quam dicitur instar lanæ suxisse, & imbibisse totam; nullam enim unquam sine fructu, more agri foecundi, præterlabi passa est.

### §. II.

**H**Æc igitur gratiæ plenitudo, deducitur primò ex fine. Deo proprium est dona sua dispertiri juxta exigentiam muneris, ad quod eligit. Ideò tot Privilegiis optavit *S. Josephum Beatissimæ Virginis Sponsum & Incarnati Verbi Nutritium, S. Joannem Præcursorem suum, S. Petrum lunatum*

Ecclesiæ Principem, S. Paulum Christianæ fidei magnum Propagatorem. Ideo *Moyfi* dicitur, *auferam de spiritu tuo, & tradam eis*, nimirum septuaginta, qui populo DEI gubernando, *Moyfi* successuri erant: delato namque eis hoc munere, oportebat, ut illis pariter gratia exequendo huic muneri necessaria communicaretur. Meminisse te velim eorum, quæ paulò ante dixi, de excellentia, quam summa dignitas Matris DEI sibi vendicat; & quod transeat in ordinem superiorem omni eo, quod purè creatum est: nempe in ordinem Unionis hypostaticæ, & *suâ operatione fines diuinitatis propinquius attingat*. S. Thom. cit. Horum memor adverte, quantumvis sublime iudicium de gratia Beatissimæ Virginis formaveris, Te longè distare à vero; quia longissimè abes à sublimissimo officio, ad quod delecta fuit.

Cùm primùm Architectus statuit altitudinem obelisci, facilè basin  
eius

ejus inveniet. O altitudo Maternitatis Beatissimæ Virginis, quæ si est quodammodo infinita, quàm ei fulciendæ basim submitam? si haberem basin aptam Angelo illi Apocalyptico, qui veluti staturæ inauditæ Colossus, alterum pedem porrigebat super ambitum terræ, alterum protendebat super maris altitudinem; quis crederet montes Apenninos & Alpes tantæ moli sufficere? & ego præsumam determinare plantam basis illius, quæ sinûs sui immensitate, circumdedit & Maris & Terræ Artificem! Ad hæc consideremus divinam Providentiam, gratiarum dispensatricem, Beatissimæ Virgini gratiam idcirco communicasse, quia hanc Christo, & nobis Matrem designabat; adeoque fuisse necessarium ut duplici respectu, & Christum, & nos respiceret. Nos quod attinet: Beatissima Virgo utero suo, non duos tantum populos, instar Rebeccæ, cujus summam in laudem dixit Angelus Gen. 25. 25. *Dua*



*gentes sunt in utero tuo: sed omnes electos conclusura erat. Venter tuus acer-  
vus tritici vallatus Liliis. Can. 7. v. 2.*  
& idcirco tanquam vera Viventium Mater, Reparatrix damni illati per Evam, quæ potius Mater mortuorum fuit, debebat participare quandam super illos præeminentiam capitis, similem illi, quæ propria Christo. Sicut ergo oportebat gratiam Christi, quia erat gratia capitis, esse, non infinitam, quippe quæ conferri non poterat, sed inexplicabilem; oportebat & talem esse gratiam Beatissimæ Virginis **MARIE**: Hæc, velut Electorum Mater, quâdam similitudine participat, uti diximus, eandem illam Capitis electorum dignitatem. Justum proinde erat, ut **DEUS** Illam gratiâ capiti proportionatâ donaret: adeoque sicut formans mare, voluit omnia flumina illuc confluere: *Congregentur aqua in locum unum. Gen. 1.* Ita formans **MARIAM**, congregaret in unam animam omnes dotes, quæ per reliquas di-

distributæ sunt: in animam unam *quæ ex illa plenitudine non redundat.* Eccl. i. quia omnes istæ dotes sinum *MARIE*, qui designat ejus officium, quo fungitur, non excedunt.

Quod attinet respectum ad Christum: conveniens erat, ut huic esset Mater & simillima & vicinissima, quantum conditio puræ Creaturæ; quæ semper est limitata, permittebat.

Aristoteles vult Legislatorem observare foeminarum qualitatem, nam Matres effectæ sunt dimidium suorum filiorum. i. Pol. 8. *Ordinatâ*, inquit, *Politiâ* non modicum oportet attendere ad mulieres, imò valdè multum; quia dimidium filiorum est Mater. Quis igitur arguet, supremum Legislatorem non attentisse plurimum ad Beatissimam Virginem, quam verè Matrem divini Verbi efformabat? ita ut si Filius ab ea genitus, non fuisset infinitus, adeoque divisionis in partes incapax, hæc dici posset dimidium sui Filij. Quis ignorat Matres esse

esse filiorum suorum velut animatas formas? sicut igitur rarò evenit, ut ex vultu non sint similes Matribus, ita sæpius evenit, ut ex moribus sint Ipsissimi. Consideremus Beatissimam Virginem, si fuisset electa, non ut *JESUM* pareret, sed ut lacte suo educaret, quantâ, vel in hac electione, caudela fuisset opus? Notum est, quâ sollicitudine in aulis Principum primogenito nutrix quærat; quot ad hanc consultationem vocentur Medici, quàm exacta informatio, & disquisitio præmittatur. Idque meritò. Plato laudat Persas, qui lege tenebantur maxime conspicuam Regni Principem sceminam huic muneri admoveere. Quis enim ignorat, quàm pronum sit per mammillas illas, quasi duos secretos canales, in infantes transfundi nutricis sive virtutes, sive vitia, non solum quæ naturæ, sed & quæ arbitrariæ sunt electionis? Historiæ Romanæ meminerunt Tiberii vinolenti, vitio nutricis, vinum sic aman-

amantis, ut & lac vino misceret. Ita Caligulam suum describunt crudelitatis monstrum, quod nutrix papillas sanguine tingere suevisset, quasi quæ populo Romano non Cæsarem educaret, sed Tigridem, quæ adultior ritus suos populi sanguine scædaret. Hinc est quod asserimus, si Beatissimæ Virgini, vel unicâ vice, *DEI filius* papillis suis admovendus, suoque lacte nutriendus fuisset, non velut à Matre, sed nutrice, omninò necessarium fuisse, ut divina providentia, hanc summâ industriâ efformaret. Quid igitur fecisse arbitremur, cum hæc sola *El* primam materiam formando corpori subministraverit, & sola primum præbuerit alimentum, Illi, quem non unâ tantùm vice, sed centenis, ab uberibus pendulum habuit? Ne dixeris: nequaquam metuendum fuisse, ne fortè Matris affectus minus boni, in sanctitatem Christi, nulli violationi obnoxiam, se insinuarent: hoc enim ex accidenti fi-

eri novimus: at verò in operando, uti omnes norunt, attendi debet ad id, quod ipsa rei natura per se exigit. Esto plumbum, nunquam vel atomum vilissimæ suæ qualitatis transfundat in adamantem; attamen quis unquam aurifex adamantem annulo plumbeo inseruit? Si tibi illa quæ philippo II. Hispaniarum Regi, pro gladii pomo serviebat, ad stuporem elegans margarita, alteri cuidam unioni inferenda, obtingeret; an non huic operi commissuram artis encausticæ seligeres pretiosissimam? ita sanè: quamvis enim tam insolitæ magnitudinis margaritæ congenitus valor, & opulencia sufficiat attamen ex unius cum altero commissura, & crescit honor Matris; & Mater, quantò ex connubio nobiliori splendidior est, magis margaritam sibi junctam honorat & condecorat, tametsi honore tali minimè indigeat. *Gloria Filiorum Patres eorum* Pro. v. 17. v 6.

## §. III.

**A**Ltera causa tam amplæ, & copio-  
 sæ gratiæ, est Principium, ex  
 quo enasci solet gratiæ amplitudo:  
 amor scilicet Christi ergà Beatissimâ  
 Virginem: amor cui ad amissim re-  
 spondet sanctitas amati; quia in  
 DEO semper eadem sunt, alteri bo-  
 na velle, & ea communicare. Porrò  
 ut adæquatam huic amori cogniti-  
 onem concipias, satis foret reminis-  
 ci eorum, quæ supra dicta sunt: ni-  
 mirum, divinissimum cœli Phœbum,  
 amoris oculo magis benigno respice-  
 re hanc unicam Lunam, quàm cæte-  
 ras, quotquot sunt, stellas: *DEUS*  
*plus amat Virginem solam, quàm reli-*  
*quos Sanctos omnes: & instar providi*  
*mercatoris, sanguinem suum in pre-*  
*tium offerendo plus attendit huic*  
*uni margaritæ lucrandæ, quàm toti*  
*cæterarum minorum margaritarum*  
*pretioso cumulo. Sed, esto hæc suf-*  
*ficient ad declarandum Christi erga*  
 Be-

Beatissimam Virginem amorem; at-  
tamen nemo improbabit, si ipsam ef-  
figiem, quam jam ante spectandam  
exhibui, oculis intuentium clarius  
objiciam: ita namque dignius de ea  
judicium formabitur; expendendo  
illos pietatis titulos, qui urgebant  
Christum ad amorem Matris: & pri-  
mum quidem illos, qui incirabant in  
genere, tanquam Filium; & deinde,  
qui exstimulabant Ipsum in indivi-  
duo, non tantum quia Filius, sed quia  
Talis Filius erat.

Obligatio maxima, quam natura  
producit est illa, quam effectus suæ cau-  
sæ obligatur. Rivus veluti impetu de-  
currens, si mentis esset compos, quo-  
ties! ô quoties medio in cursu siste-  
ret, diciturus *Ave* illi scaturigini, quæ  
liberalitate perenni non cessat novam  
suppeditare currenti lympham: &  
amœnissima Lux, filia formosa magis  
formosi parentis, si sciret suum nosse  
principium; quid posset minus, quam  
debito obsequio splendoris sui radios

in ipsummet principium suum refundere? Quod si hæc obligatio tanta est in omnibus effectibus, erit utique longè major in ijs, qui nobilius aliquid à sua causa recipiunt; adeoque obligatio Filij erit sine fine, quippe quæ pares gratias nunquam potest rependere. Unde D. Thom. 22. q. 8. laudat. Philosophum asserentem: *Dijs & Parentibus parem gratiam referre non possumus*: Tam ingens debitum contraxit homo, erga illum, per quem natus est homo. Hic universalis nexus, qui Filios omnes arctissimè stringit, videtur arctius stringere Christum duabus ex causis: Prima; quia obligatio Christi non erat divisa inter Patrem & Matrem, prout in cæteris hominibus, quos quidem concepit foemina, sed viri subsidio; & assimulantur floribus hortorum, qui suum esse debent, partim solo nativo producenti, partim hortulano agrum colenti: At verò Christus non fuit *flos hortorum*, fuit, *Flos campi*: natus ex *MARIA Virgine*,



*gine*, terrâ intactâ, terrâ illibatâ nul-  
 lius viri operâ: soli Beatissimæ Virgi-  
 ni suum natale solum debet: quo  
 sensu potuit æquissimè eam toties ap-  
 pellare: *Unica mea*. Altera: quia  
 Christo Beatissima Virgo non solum  
 donavit summum omnium donorum,  
 quod est *esse*, sed & dedit ei perfectissi-  
 mo quo dare potuit modo, nempe ex  
 amoris impulsu. Reliquæ Matres non  
 noverunt suos Filios antequam sint  
 geniti: unde sicut non possunt velle  
 bonum filijs suis, prius quàm sint ge-  
 niti, tanquam suis: ita neque pos-  
 sunt specialiter, ex infinitâ illâ nascen-  
 tium turbâ eos eligere: ideóque plu-  
 rimùm decedit isti beneficio, quod  
 uni præ altero conferunt, quia con-  
 ferunt ijs fortuitò. Verè plurimùm  
 beo cœlo, quod mihi dormienti tot  
 oculis vigilat, quot in eo stellæ ruti-  
 lant, sed longè major forem debitor,  
 si quos bono meo aperit oculos mihi  
 inter omnes uni juvando invigila-  
 rent,

Jam verò Beatissima Virgo DEI Filium concepit: at non concepit, quem non cognovit, non amavit, nomen anteposuit cæteris: imò, huic uni, tanquam cœlesti rori, hæc concha virginalem uterum aperuit, quem inenso pelago cæterarum creaturarum omnium, etiam possibilium, perfectissimo Virginitatis voto obseravit, quod tam gratum fuit Christo, ut, ne & Ipsa diceret, quod vulgares Matres: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis. 2. Mac. 7. v. 22.* Uterum Illius intrare noluerit, nisi prius habito expresso ejus consensu. *Noluit carnem sumere ex Ipsa, non ante Ipsam.* Guil. in cant. atque hoc modo, se Ipsam deberet magis materno cordi, quam gremio, cujus tamen erat fructus verissimus. *Dixi debere:* id quod significatione strictissima intellectum volo: hæc enim est *Beatissimæ Virginis MARIE* prærogativa singularis, quod inter omnes creaturas sit *DEI creditrix.* Nam ut Method. orat. de Purif. ait:

*Obnoxium habet omnium feneratorum*  
 DEUS reliquis Sanctis debitorem se  
 facit, ex promisso. *Debitorem se facit,*  
*non accipiendo sed promittendo:* inquit  
 S. August. in Plal. 83. Virgini Beatissi-  
 mæ debitorem se facit accipiendo ex  
 ea esse humanum. In hac unâ cessat  
 illa universalis Apostoli interrogatio:  
*Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*  
 Rom. 1. 35. Siquidem Beatissima Virgo  
 interrogata responderet: Ego antece-  
 denter ad omnem humanam DEI vo-  
 luntatem Ipsi dedi esse naturale, quo  
 gaudet, generando hominem ex me:  
 nec hoc solum, sed & anticipatò ei  
 contuli Ipsius in mundum adventum,  
 quem meis suspirijs acceleravi.

Hic mi Lector, tantisper subsiste, &  
 explica, si potes, quanta fuerit grati-  
 tudo talis Filij erga talem Matrem. Il-  
 le qui pro potu frigidae in terris por-  
 rectæ, promittit in cœlis voluptatum  
 torrentem, & quidem æternum; qua-  
 le gratiarum mare profuderit in ipsam,  
 quæ suum ei subministravit è venis

sanguinem, quem concepto tenello Infanti in carnem mutavit, & ut deinceps educaret, in lac destillavit. Si *JESUS* homini ingrato, qui vitâ eum privavit, se Ipsum dedit; quid ei donaverit, à quâ vitam accepit? Necessè est hanc gratitudinem esse humanæ linguæ omninò ineffabilem. *Ineffabilis sanctificationis gratia, quantum in Virgine valuerit, ait S. Aug. serm. de Assumpt. Illi soli notum est, qui de ejus naturâ naturam suscepit.* Dotis illius quantitas, quam divinum verbum attulit, quando se Beatissimæ Virgini desponsavit, illi soli indubitatè nota est, qui eam attulit: Hæ fuerunt unicæ vices, quibus *DEUS* summè probatam gratitudinis virtutem exercere potuit: oportuit igitur, ut exerceret eam, eo modo, qui tantum Majestatem decebat, *faciendo potentiam in brachio suo; quia agebatur de satisfactione tam enormis debiti, ut nisi DEUS, qui factus fuit Filius Beatissimæ Virginis, sicut erat homo, fuisset*

pariter *DEUS*, non numerasset unquam in suo gazophylacio summam, quæ ad satisfaciendum sufficeret.

Hanc gratitudinem, etsi justissimã, non nôrunt homines ex merito æstimare, quia illius exempla ignorant. Genitores ut plurimum sunt magis amantes suæ prolis, quàm ab ea amati: & quamvis amor sit ignis, attamen naturam ignis non imitatur, quia descendit, & in prole paulatim deficit. Sed Christi in Matrem amor fuit purissimus, & instar ignis, in sua sphæra existentis, minimè participans qualitates ignobiliore, quos alioquin è nostra materia haurire solet; & idè Christus longè ab alijs filijs, citrà omnem comparisonem plus amans, quàm amatus, ad libitum sibi efformare voluit Matrem eã sanctitate dotatam, quã nequeat major intelligi sub Sole: idque vel maximè, quia qualem volebat, talem & noverat, & poterat sibi efformare Matrem.

Si Pictori cuidam eximio liceret

pingere sibi Sponsam, eâ lege, fore ut ad pictum prototypon fortiretur Sponsam: parceretne diligentia, industriæ, aut arti, ut formosam pingere? qua vultûs serenitate famosissimi hujus sæculi Pictores eam adumbrarent? quâ incessûs Majestate, qua gestuum compositione noster Titianus aut Raphael ( famosi Romani Pictores nostri ævi ) eam exprimerent? Profectò omnes hi artifices incusarent naturam, quæ nobili eorum Ideæ colores aptos non suppeditaret: incusarent artem, cujus artificiosi labores fervens eorum desiderium non explerent: si res divinæ humanis dignè possent adumbrari, dicerem nos in simillimo casu versari. Quis enim suspicetur æternû Verbû in operatione sua aliã methodum tenuisse, Ipsûq; cùm posset pro beneplacito delineare sibi foeminam, quæ ex omnibus futura esset, non solùm sponsa, verùm & Mater, vel secus, vel segnius egisse? An forte ipsius dexteræ potentia, divinæ

vinæ menti sapientia? aut primo amori sua gratitudo deesse potuit? Novi Ipsum Verbum æternum de se aliter sensisse, dum dicit: *Sapientia edificavit sibi Domum.* Prov. 9. 1. Num observâstis consilium sapientiæ? Non conductitiam domum delegit, quam incoheret, quasi quandam è vulgo Matrem huic muneri applicâisset: sed eam sibi formavit: nec quovis modo; sed eam *sibi edificavit.* Non enim fecit illam sicut cætera creata omnia, nullâ quodammodo præmissâ deliberatione: *Ipsè enim dixit & facta sunt:* sed fecit eam singulari quadam industriâ & applicatione mentis ad architectonicæ regulas. *Ædificavit, & edificavit sibi:* non ædificavit eam, ut passim alijs elocaret, sed *sibi soli:* nempe ut esset *Domo digna DEO.* Dico *Domum* quia non ædificavit eam, ut ea veluti templo, uteretur, in quo pro divina Majestate suâ resideret: sed *ædificavit eam* tanquam *Domum,* ut esset DEI habitatio, locus quietis & receptacu-

§2 DEVOTUS MARIE.

lum. *Sapientia edificavit sibi Domum!*  
 & erit, qui ambigere possit, non ædificasse sibi Domum, omnibus perfectionibus, prærogativis, præeminentijs instructam, quæ eam redderent gratissimam?

Quod si ita est, concludamus discursum nostrum hoc modo: Qui voluerit investigare numerum thesaurorum, quos Christus in sinum Beatiss. Virginis profudit, is ita secum ratiocinetur: DEUS est, qui ditat Matrem suam, eâ intentione, ut intenso suo in Matrem amoris satisfaciat: DEUS est qui ditat eam, ut suo debito, quod unum erga creaturas suas contrahere poterat, se exsolvat. Novi Salomonem Regem opulentissimum non fuisse pauperem, nisi quando arsit amore. Sed ô Rex gloriæ! de Te quid dicam! Non dicam Te depauperatum, quando Te exsolvisti debito, quo tenebaris erga animam Tibi tantopere dilectam, qualis erat Beatissima Virgo MARIA: dicam tamen, si tanta in Beatissimam  
 Vir-



DEVOTUS MARIE.

Virginē liberalitas Te non redegit ad incitas, non evenisse ex eo, quod parca nimis fuerit; sed quia divitijs non minus, quàm sapientiâ Salomonem antecellis: *Ecce plus quàm Salomon hic!* Et quid mirum, Te DEUM non fuisse depauperatum? Thesauri enim, quos largâ manu erogas, non sunt ejusmodi, quales fuerunt Salomonis, regio inclusi gazophylacio, sed sunt fodinæ: fodinæ inexhaustæ.

§. IV.

Tertiò: Reflectamus oculos mentis, ex illa, in qua exules suspiramus, Babylone, ad sanctam nostram Hierusalem: consideremus illam Beatissimæ Virginis industriam, qua ad negotium bono suo, usa est gratiâ Ipsi collata; ut & nos fateamur, quod *si multa filia congregaverunt divitias, hac supergressa est universas.* Prov. 31. Ut verò has multas & multiplicatas divitias perspiciamus, necesse est, ut primùm summam capitalem, ex qua negotiatio processit, consideremus.

Mihi citrà dubium est, Beatissimam Virginem, in primo suæ Conceptionis instanti, plus gratiæ habuisse, quàm ultimatò habuerit quispiam, non solùm Sanctorum in terris, verùm etiam Seraphinorum in cœlis. Id quod negari non potest, quin Virgini solennis injuria irrogetur : cùm quia de hoc puncto inter Doctores convenit, tum quia sacra Scriptura videtur hujus assertionis fidem nobis persuadere velle, dum ait : *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Psalm. 86. Cernitis in quantam evehantur altitudinē sublissimi spiritus illi, quos nos tanquam montes suspicimus ? Super horum cacumine jactum est fundamentum augusti istius ædificij, *Beatissimæ Virginis MARIÆ*. Hæc enim isthic incipit, ubi alij desinunt ; *Dominus* quoque multò plus diligit portas, id est, principia nobilissimæ hujus fabricæ Sion, quàm omnia tabernacula Jacob jam perfectæ. Quod

si hæc stupore digna videantur; admirationem eximet prodigium Longè majus; afferitur enim, hanc gratiæ abundantiam ex eo derivari, quod in ejus utero *DEUS homo factus sit: Homo natus est in ea*: Unde ratio exigebat eam magnificentiâ fundari tanto Regi debito: *Et Ipse fundavit eam altissimus.* Psalm. 86.

Quando Rex Salomon extruxit Augustum Solymæ templum, minimè imitatus est Architectos, qui lapides quosvis obvios passim fundamentis substernunt; sed adhibuit lapides & pretio, & mole eximios. *Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi.* 3. Reg. 5. Sed quanta hæc prodigalitas, tantum thesaurum citrà omnem utilitatem terrâ sepelire? an fortè sapientissimus ille Rex æmulatus est naturam; quæ videtur studiosè, & quodammodo de industria, in cavernis montium, splendidissima metalla; & in maris abyssu, pretiosissimas margaritas oc-

cultare? hæc dicendo, viderer joca-  
ri potiùs, quàm discurrere. Si enim  
ignorarem, Architectum tam stupen-  
di artificij alium neminem fuisse,  
quàm Ipsum DEUM, res plena labo-  
ris foret, ut caperem, quâ ratione  
ob prodigalitem illius fundamenti,  
plus laudis operi non decesserit, quàm  
acceserit ob magnificentiam muro-  
rum, in quos, si quando Sol suos ra-  
dios vibraret, renitente ex muris au-  
ro, eos obscuriores experiebatur. Sed  
advertite mysterium, dubio procul,  
à vobis absconditum. Templum il-  
lud antiquum constat fuisse figuram  
alterius templi, non mortui, sed vivi,  
in quo, velut in hospitio suo, per no-  
vem menses habitaturus erat Rex glo-  
riæ: fuit figuræ *Beatissimæ Virginis, MA-  
RIÆ*; ut innueretur magnitudo il-  
lius gratiæ, quæ citrà meritum, in  
Conceptione Virginis, Ipsi pro fun-  
damento conferenda erat: Voluit  
DEUS, ut Templum Salomonis, in-  
quo Virgo adumbratur, præter om-  
nem

nem morem esset in fundamento opulentissimum ; ideóque prodigalitatís argui non possunt illæ expensæ , quæ conceptui tam præclaro subserviebant.

Sed quidquid dixeró, fieri non poterit, ut unquam apprehendatur immensitas illius primi capitalis, sive gratiæ, quâ ad negotiationem usâ est Beatissima Virgo, nisi eam in partes divisero : nam etiam excessivæ nummorum summæ, videntur esse numero inferiores, nisi per partes numerentur. Ratiocinemur hoc modo : Indubitatum est, quod Angelorum multitudo superet omnem fidem ; & totius Arithmeticæ calculus iis numerandis non sufficiat. *Nunquid est numerus militum ejus ?* inquit Job. I s. c. 3. Fallitur quisquis sibi persuaserit, se cœlestes illos athletas, in angustum mentis suæ diribitorium, veluti ad lustrationem, nominatim evocare posse. Magnus Areopagita, eruditus ab Apostolo oculato teste scribit non solum

lùm milites, sed ipsas etiam beatarum mentium phalanges, per singulos ordines distributas, numero superare capacitatem nostrarum mentium. *Sunt, inquit, beati exercitus supernarum mentium, infirmarum mentium nostrarum numerum super excedentes.* Quæ verba æquâ lance ponderata, moverunt sanctum Thomam, ut doceret 1. part. q. 50. art. ult. substantias Angelicas vincere multitudine substantias omnes corporeas, tanto excessu, quanto corporeæ superiores, qui sunt cœli, mole sua vincunt substantias inferiores; qui excessus omnem proportionem superat: & ex hoc motivo oportet sibi persuadere Angelos esse plures, quàm sint stellæ firmamenti, quàm arenæ maris, aëris atomi (Suarez. lib. 1 de Ang. c. 11. n. 13.) Cum hac tamen limitatione; quamvis tot sint numero, attamen non esse multitudinem quandam confusam, quales sunt atomi; sed multitudini respondere ordinem, in quo

quo alter alteri præcellat, uti numerus numero, ait Angelicus Doctor, secundus primum, tertius secundum, quartus tertium superat, ita, ut alter ab altero distinguatur per excessum & eminentiam majoris cujusdam perfectionis. Ad hæc: donis naturæ respondent dona gratiæ Ipsi collata; ita ut si quis dotatus sit perfectione majori in ordine naturali, huic etiam collata sit gratia major in ordine supernaturali. Ad dicet quispiam: Quorsum & in quem finem hic discursus? Hunc qui ignorat, advertet me imitatum fuisse Falconem, qui prædam insectans, in gyros plures circumvolitat, nulla tamen jactura temporis, sed opportunum observat, quo majore impetu in prædam involare possit.

Si, ut diximus, Angeli sunt sine numero, & alter altero in ordine perfectior, & quantò in natura perfectior, tantò etiam in ordine gratiæ ditior; sequitur, quantumcunque minimum  
gra-

gratiæ gradum in infimo Angelo supponamus, huic respondere incredibilem gratiæ quantitatem in summo: ita ut sanctus Michaël, secundum communiorem sententiam omnium Angelorum Princeps, summus nimirum Seraphinorum, minimum possideat tot gradus gratiæ, quot sunt Angeli, quos infra se natura inferiores habet, nempe innumeri. Quod si infimum illum, non uno solo, sed millenis gratiæ gradibus (quos Ipsi competere, attentâ perfectione cujuslibet naturæ Angelicæ, necesse est) instructum esse credamus: quò tandem excrescet opulentia illius supremi, qui illustris illius militiæ Antesignanus est? ad eum porfuso modum quo gradus suos Astrologi notant: Nam gradus, qui suprâ globum nostri hemisphærii in circulo maximo non excedit spacium majus, quàm sint sexaginta milliaria terræ; ille translatus in circulum maximum summi cœli, occupat spacium adeò vastum, ut omnem



nem considerantis imaginationem vincat. Post hos discursuum gyros, deprehendes me tantem delapsam ad eas, quas designare promiseram, divitias primi capitalis, sive gratiæ in Beatissimam Virginem collatæ. Sufficiat Tibi nôsse, primam Beatissimæ Virginis gratiam fuisse majorem, quàm fuerit ultima supremi ex universo Angelorum cœtu. Tu expendere, num magna fuerit. Sed noli interrogare distinctius, quantum præcelluerit? Nam me animus deficit Tibi respondendi. Interroga, qui eam erogavit: solus Ille calculum novit. Telam, à qua orsus sum, pergo contexere. Verùm quid hoc esse dicam? Videor multùm itineris confecisse, & adhuc in limine subsisto. Me præeuntem mente Tua subsequere: ne fatigari incipias; altum pelagus navigabimus, cui, si denique aliud nihil superfit, data dextra, immergemur ambo suavi naufragio admirationis, ut insectemur sanctitatem inscrutabilem

Iem Beatissimæ Virginis M A R I Æ.

Hæc prima, & prope immensa gratia, deinceps omni momento per Beatissimam Virginem fuit multiplicata; id quod citrà omne dubium supponere posse videor: si enim hæc gratiæ duplicatio communis fuit universis Angelis, illo brevissimo temporis spatio quo Viatores fuerunt, quâ fieri poterit, ut non esset excellentior in *Beatissima Virgine MARIA* omnium Angelorum Regina. Albertus Magnus lib. de B. M. c. 69. 70. 71. existimavit principium in terminis notissimum, prorsus nemini Ipsâ inferiori, concedi posse privilegium, quod Ipsi vocetur in dubium. *Principium ex terminis ait per se notum, Virgini perfectius collatas omnium Sanctorum gratias.* Atamen quia hæc assidua gratiæ duplicatio, totius mei discursus basis est, non sufficit hanc præsupposuisse, verùm libet eandem probare. Negari non potest Beatissimam Virginem in acquirendâ novâ gratiâ velocissimè operatam

tam fuisse: cum enim esset libera omni fomite peccati, operabatur absque resistentiâ.

Explicabo mentem meam similitudine, vel ipsâ solis luce, clariore. An unquam observâstis, quam incredibili agilitate feratur lux ad remotissimos hemisphærij confines? Globus tormenti bellici quamvis à vehementia ignis velocissimè feratur, attamen spatio, quo fluit minutum hora unus, ultra tria milliaria non feretur, juxta experientiam sagacissimorum sclopetariorum; ita ut si absque remissione æquali semper velocitate ferretur, horæ integræ spatio, non nisi centum & octoginta milliaria conficeret: At verò lux minori temporis spatio, quàm nictus est oculi, non solum ad utrumque horizontem usque pervadit, sed & illos centum triginta quatuor milliones milliarium, quibus alter polus distat ab altero, pervolat. Verùm unde Luci hæc præcæteris agilitas? quia nihil habet, quod in via ob-

sistat.

sistat. Nihil est contrarium, quod in spatio tam vasto superet: ideòque vel unico momento pertingit ad suum terminum, quia sine resistentia pervenit.

Porro *Beatissima Virgini* operandi modus ex eo diversus est à nostro cæterorum mortalium operandi modo. Esto quis nostrum magnis passibus tendat ad sanctitatem; esto ad eam volitet, nunquam tamen tendit celeritate perfecta, quia cursus noster, noster volatus semper remoram patitur à suo contrario: habet peccati fomitem, qui est inclinatio illa, quâ quis naturæ corruptæ vitio non in DEUM, verum animæ centrum, sed in se ipsum propendet. Non ita in *Beatissima Virgine*, quæ à primo Conceptionis instanti libera omni fomite peccati, nihil unquam sensit, quod velocissimos ejus progressus remoretur: ideòque sicut hæc fuit primus partus, qui in ordine gratiæ divini Verbi voce prodiit: *Primogenita ex ore*

*altissimi*: non secus ac in ordine naturæ ad ejusdem divini Verbi vocem Lux prodiit, ita parem cum Luce, in uno instanti merita sua propagandi, velocitatem sortita fuit.

Ecce igitur fundamentum præclaræ illius sententiæ, quam Beatissimæ Virgini Devotæ mentes propugnant, dum eam omni momento gratiam duplicasse asserunt: ex una quidem parte, quia habitus virtualis conjunctus cum actuali auxilio proportionato, est principium; ut Scholæ loquuntur, sufficientissimum ad producendum alterum actum ipsi habitui in intensione æqualem: ex altera verò, cum Beatissima Virgo operaretur absque impedimento, operabatur quantum poterat, nec illud talentum, quod DEUS ad negotium *Illi* assidue subministrabat, vel brevispatio patiebatur in terram defossam. Ex his sequitur, B. Virginem meritum actûs primi duplicasse per secundum, & per duplicatam habitûs intensiorem, se di-

disposuisse ad duplicandum per actû tertium actûs secundi meritum. Adverto hæc modo dicta non esse Lucem, quam pupilla quævis irretorta ferat; unde, ut clarius loqui incipiam, sufficit me ad captum non esse locutum. Qui calculationem illam non capit, gaudeat, quod Beatissimæ Virginis Majestas, intellectum illius hebetet & confundat, pergatque amare, quod non intelligit, ut aliquando clarius intelligat id, quod nunc amasse satis fuit.

Pergam nihilominus omnes explorare modos, quibus possim veluti vivis coloribus hanc multiplicationem adumbrare. Industrius equiso Caballum, quem dexterrimè instruxerat, venum duxit: Primus ejus aspectus, Virum nobilem tanto caballum habendi desiderio accendit, ut quanto cyus chartam virginem offerret equisoni, cui quodlibet pretium inscriberet. At ille Viro nobili: Bone Vir, caballum, quem licitas, tanti æsti-

mo, quanti suum Alexander Macedo Bucephalum. Ut æquum pretium exsolvas, totum exhauries patrimonium. At, si lubet, hoc modo conveniat inter nos. Tibi gratuito caballum dono, nec aliud quàm singulos solearum clavos, hoc pacto, exsolves, ut pro primo unum solidum, pro secundo duos, pro tertio quatuor, pro quarto octo, pro quinto sedecim, & ita ad ultimum usque clavum duplicando solidos exsolvas. Subrisit Vir nobilis, & magis in militari studio, quàm in abaco exercitatus, petitioni mox annuit; ratus, se non emere, sed longè infra pretium obtinere Caballum, donec subducto calculo comperit, trigessimum soleæ clavum hac lege solutum, ut sequens valorem præcedentis duplicaret, excurrere ad summam 214748364. ducentorum quatuordecim millionum, septingentorum quadraginta octo millium trecentorum sexaginta quatuor coronatorum argenteorum, quantam non

modo nemo privatorum Nobilium suâ arcâ, sed nec omnes Europæ Principes ærario suo claudunt. Hic Te, mi Lector, velim non minus Arithmeticæ peritum, quàm Beatissimæ Virgini devotum. Opus Tibi erit aliquâ peritiâ, ut conceptum meum assequaris: Sed si calamo nequeas abacum conscribere, manum applica ad ludum Latrunculorum ( in quo fortasse sæpius auri optimi, nempe temporis, irreparabilem fecisti jacturam ) distinguitur hic in quadrangulos sexaginta quator: ad primum colloca unum frumenti granum, ad secundum duo, ad tertium quatuor, ad quintum octo: hoc ordine duplica grana, ad ultimum usque quadrangulum. Scito, non modo non in area tua, sed neque toto mundo tot frumenti grana reperiri, quot quadrangulus sexagesimus quartus absorbebit. Naves enim Onetariæ tantæ quantitati frumenti necessariæ ( assignando singulis ter mille saccos ) forent 1766199852. Mille



septingenti sexaginta sex milliones, centum nonagintæ nonies mille, octingentæ quinquaginta duæ: quot naves hæctenus nunquam vexit, nec vehet unquam Oceanus. Hac igitur ratione calculum subducendo manifestum fit: tametî Beatissima Virgo in sua *Immaculatâ* Conceptione à Verbo æterno, pro arrha illius, quam destinabat ei, dotis, non accepisset nisi unum gratiæ gradum, quantum & infans, qui à suscepto Baptismo statim moritur, attamen intra sexaginta quadrantes primæ diei, nimirum spatio sedecim horarum (duplicando capitale suum solis singulis horæ quadrantibus) coacervasset thesaurum adeò enormem, ut non tantum non infirmæ mentes nostræ, sed Ipsi Seraphin capitalem summam vix assequerentur, summam, inquam, quam uno halitu vix expresseris: Audite quot gradus edicere necesse sit, ut omnes efferas. Sunt octodecim milliones millionum: quatuor centum

quadraginta sex millia, septingenti  
 quadraginta quatuor milliones mil-  
 lionum sexcenta septuaginta tria  
 millia, septingenti & novem mil-  
 liones, quingenta, quinquaginta  
 unum mille, sexcenti & sedecim  
 18446744673709551616  
 Considerandum hic est, quò excur-  
 surus sit numerus, si pro primo Beatissi-  
 mæ Virginis capitali, non unus solus  
 gratiæ grad⁹ supponatur, sed tot, quot  
 errant *S. Michaelis Archangeli*: & quan-  
 tò augendus, si ponantur hi gradus  
 gratiæ duplicati non tantùm spatio se-  
 decim horarum, quæ sunt duæ tertiæ  
 unius diei, sed totâ vitâ suâ, quæ ( se-  
 cluso spatio, quo in utero materno  
 morata fuit ) excurrit ad annos se-  
 ptuaginta duos.

Ad hæc, facta suppositione, B. Vir-  
 ginem ratione perfecti Dominij, quo  
 actibus suis imperabat, nullum un-  
 quam actum operatam fuisse, nisi de-  
 liberatum; ac denique, supposita gra-  
 vium authorum sententia, ne quidem  
 dor-

dormientem à merito augendo cessasse, sicut cor nostrum in nobis dormientibus à motu non cessat: quis explicet? quis animo comprehendat tantùm thesaurum? P. Clavius inter cætera ingenij sui specimina, coacervat numerum omnium granulorum arenæ, quæ vastissimo terrarum globo, ad firmamentum usque explendo necessaria foret: factâque suppositione, singula grana esse adeò minuta, ut eorum decem millia vix unum granum papaveris exæquarent, demonstrat horum omnium numerum exprimi quinquaginta & unâ nullitibus, unâ unicâ præfixâ. Et quid hæc in comparatione *Beatissimæ Virginis*? Positâ enim duplicatione gratiæ in *Beatissima Virgine*, cui summo nisi & assiduitate intendebat, non tantùm singulis horis, verùm & singulis minutis, imò momentis, necesse est eam brevi spatio ad summam, suprâ omnem modum excessivam pertigisse: ideóque existimo non solum sub fi-

nem illius temporis, quo Verbum Patris, unigenitus DEI Filius personaliter è cœlo descendens, excellenti huic statuæ, *Beatissima Virgini*, extremam manum admoturus erat, idem Verbum more Clarissimorum artificum suâ manu subscripsisse hanc Epigraphen Eccl. 43. *OPUS EXCELSI.* & illo ipso tempore de ea dici potuisse, quod totum Paradisi venustatem exæquaret: *Pulchra es, & decora Filia sicut Jerusalem.* Cant. 6. Verùm & multò ante; quando nimirum à DEO formabatur, ita ut non tantùm moriens plus gratiæ possederit, quàm omnes cœlestis Curiaë cives, verùm etiam adhuc vivens.

Sed ecce altissimo pelago fluctuamus? quid tandem nobis fiet O Virgo amabilissima! Liceat mihi Te paucis affari. Dixisti Te non esse nisi rivulum aquæ. *Ego quasi trames aquæ.* Eccl. 24. 41. Sed optimè addidisti, *aqua immense.* Fateor, quod comparatione DEI, qui sanctitatis Oceanus est, non  
 sis

sis nisi rivulus. At comparatione nostri rivulus es, & *trames aqua immensa*. quem nemo est, qui gloriatur se ab una ripa ad alteram ripam transvadasse. At nobis in hoc pelago fluctuantibus, quid facto opus est, ut emergamus? Non est quod solliciti simus. Amor in Te noster, nos huc deduxit, O Beatissima Virgo! per me licet, & hic nos demergat: gaudebimus perijisse in tanta aquarum voragine, ut eò amplius divinam potentiam in pulcherrimo dexteræ suæ opere extolamus.

Sed quid dicet, qui observaturus est, me hac prodigiosa multiplicatione additionis fuisse oblitum? & forsan optimæ portionis illius principalis fortis, ex qua Beatissima Virgo negotiatur, & fructus colligit: estque illa, quam Theologi appellant, gratiam ex opere operato: Gratia non collata ex merito industriæ, quam fortunatissima illa anima in operando semper adhibuit, sed collata intuitu Christi,

qui pro arbitrio suo in ea operatus fuit. Profectò, si hæc gratia annumeretur illi multiplicatæ summæ nec perfectissima terræ Arithmetica, nec cœlum ipsum sufficientes dabit numeros, nisi forte penetres in mentem usque divinam, ex qua numeros absconditos expisceris. Quis capiet, quantum boni Verbum æternum profuderit in sinum Virginis, quando Ipsum Virginali utero suo excepit? quando portavit, quando peperit? quantum, quando à mortuis resurgens gloriosus ad Ipsam revisit? quando ascensurus in cœlum Vale ei dixit? quando Spiritu Sancto de cœlo misso gratiarum imbres in eam depluit? & quantum denique, quando Verbum æternum è cœlo descendit, ut exciperet illum spiritum, qui relictâ terrâ, velut ignis cœlo debitus, non patiebatur ultrâ se extra sphæram suam detineri?

Verùm adhuc plura dicenda supersunt. Nam Beatissima Virgo creditur ascen-

ascendenti in cœlos Christo superstes  
 vixisse viginti quatuor annis & ali-  
 quot mensibus, quibus probabile est  
 Ipsam, more primorum Christi fide-  
 lium, sacra Synaxi quotidie refectam  
 fuisse. Si supputemus vices, reperie-  
 mus Virginem Filium suum Sacra-  
 menti speciebus velatum, plus octies  
 mille octingentis & quinquaginta vi-  
 cibus pectore suo excepisse. Jam ve-  
 rò nemo est, qui ignoret, in Augustis-  
 simo Altaris Sacramento distribui gra-  
 tiam juxta dispositionem recipientis,  
 ideòque quia dispositio Beatissimæ  
 Virginis omnem fidem superat, quin  
 etiam omnem intellectum; quantus  
 hic fuerit thesaurus, quem ex fodina  
 inexhausta pretiosissimi sui sanguinis  
 in animam B. Virginis amantissimus  
 Matris Filius derivabat, qui suam Ma-  
 tri præsentiam dissimulare, amorem  
 celare haud poterat? Interrogemus  
 sapientem, num reperturus sit ali-  
 quem, qui maris arenulas, & pluvix  
 guttulas dinumeret? *Arenam maris,*

*& pluviae guttulas quis dinumerabit?*  
 Eccl. I. Minus negotij facefferet mihi  
 hæc omnia dinumerare, quàm uni-  
 cam partem meritorum Beatissimæ  
 Virginis recensere. Nulla bolide  
 hanc profunditatem exploraveris.  
 Parum progressus, & Litori vicinus  
 sum, nec tamen fundum reperio. Un-  
 de S. Joan. Damascenus Beatissimam  
 Virginem jure merito, non *mare* di-  
 xit, quod est Mariani nominis ety-  
 mon, sed *abyssū gratiæ: gratiæ abyssus*  
*immensus.* Orat. 2. de Assumpt. Esto enim  
 mare sit profundissimum, tandem fun-  
 dum illius explorabis, sed *abyssi nun-*  
*quam.* *Profundum abyssi quis dimensus*  
*est.* Eccl. I. v. 2. Ecce me! nusquam  
 effugium reperio. Proinde mi Mario-  
 phile, necesse est, ut hic te deseram,  
 ubi memetipsum perdo. Sufficeret  
 mihi animus, ex quovis Te pelago  
 eripere, ex hac verò abyssu, me im-  
 parem invenio.

§. V.

**U**Num superest, quod hoc loci  
 signi-



significem: sententiam, quæ docet,  
*gratiam Beatissimæ Virgini collatam su-*  
*perare gratiam omnium simul Beatorum;*  
 ipsi adeò fuisse gratam, ut ablegaverit  
 aliquem; qui ex Ipsa gratias ageret P.  
 Francisco Suarez primo inter Schola-  
 sticos hujus sententiæ auctori, & ejus-  
 dem in Salmanticensi Cathedra pro-  
 pugnatori, V. Vitam P. Suarez. Qui  
 Virginis favor in sequelam me quàm  
 potentissimè pertrahit. Fateor reper-  
 tum fuisse qui tanti Viri opinioni pa-  
 rum addictus (cùm refutandi argu-  
 menta non haberet) asserere non du-  
 bitaverit, P. Suarez ex meris conje-  
 cturis loqui. Interim scio *Beatissimam*  
*Virginem* misisse qui propugnatori hu-  
 jus piæ sententiæ gratias referret; de  
 gratijs oppugnatori actis, non con-  
 stat. Proinde si conclusio prudentissi-  
 mè decisa, varijs congruentijs munita,  
 sumorum Patrum judicio firmata, &  
 totius Scholæ Salmanticensis suffra-  
 gijs suffulta, censenda sit conjectura;  
 opportune dicemus P. Suarez rem ip-

sam coniecisse, qui tantâ felicitate de eâ scripsit, ut conjecturâ veritatem assecutus, scopum sive signum attigerit. Et reverâ tam nobile signum est Beatissima Virgo, in cujus laudibus nec cœcus aberraverit. Qui fiet, ut aberret Sagittarius tam oculatus.

## CAPUT IV.

Quartum Devotionis ergâ Beatissimam Virginem motivum.

*Universalis Ecclesiæ in ejus cultum consensus.*

### §. I.

**C**ultus, sive Honor non est testimonium virtutis tam authenticus, cui sine ulla exceptione fides debeatur. Imò naturam umbræ imitatur, quæ sæpe merita staturæ non adæquat, sæpe excedit. Interim fallit hæc regula, si in honorantē nec ignorantia cadit, quæ fascinat mentem, nec passio,

passio, quæ pervertit voluntatem. Jam enim honor non imitatur umbram, infideliter objectum repræsentantem, sed est imago, quæ illud ad vivum exprimit: & in hoc casu rectè videmur dicere; honorem non esse fallacem umbram meriti, sed imitari umbram horologii solaris, quæ non fallit. Proderit hanc considerationem observâsse, ut intelligamus, quantum honorari debeat Beatissima Virgo quam tam immensè honorat Ecclesia, quæ cum sit sedes ab ipsa veritate stabilita, à cultu per eam præscripto procul exulat error, & adulatio: ideoque ex hac umbra, quæ Beatissimam Virginem semper comitatur, ejus altitudinem, infallibili velut Libellâ, securè dimetieris. Omnis autem honor, qui virtuti debetur, tres potissimum conditiones requirit, ut virtus in summa existimatione habeatur: *Antiquitas, Universalitas, Sublimitas*: Quæ tria ad stuporem usque reperiuntur in cultu, quem *Beatissima Virgini* Ecclesia defert.

## §. II.

PRIMò : *Antiquissimus* est tam eximie Virginis cultus, unde à veritate non erit alienum dicere, sub initium omnis Creaturæ sumpsisse suum exordium : adeò ut si quis hujus Nili scaturiginem investigare volet, necesse sit, ad ipsum non terrestrem tantùm, sed & cœlestem usque Paradisum progredi, ut eam inveniat. Sicut enim Angeli à principio creationis suæ cognoverunt Christum per fidem, & eundem à principio suæ beatitudinis viderunt in verbo; Simili prorsus modo cognoverunt, & viderunt *Beatiss. Virginem*, fœcundam illam arborem, quæ tam speciosum fructum progenitura erat; quam si cognoverunt, & viderunt, certum est illos in statu Viatorum & Camarchensorum; Virginem velut Domini sui Matrem adorasse. Svar. 3. p. 5. 2. disc. 22. sec. 1. *Decet enim DEI Matrem ea, quæ Fili*

*Filij sunt possidere*. Et uti loquitur Damasc orat. 1. de nat. Virg. *ab omnibus adorari*. Ita ab ipso quoque mundi exordio, Virgo hominibus in veneratione fuit; nam nihil obstabat, quò minus terram illum Beatissimæ Virgini deferret cultum, quem cœlo Magistro didicerat. In primis Protoparentes nostri Adam & Eva, instar Caucasii & caspij excelsissimorum montium. Arist. Meteor. t. 63. c. 37. qui quatuor horis citius, quam subjecta illis planities, experiuntur nascentem auroram, quatragesima sæculis, antequam in nostro horizonte omnium oculis patesceret, hanc divinissimam auroram observârunt. Nam vix admissio peccato, Deus volens applicare vulnere medelam, in solamen horum infortunatorum exulum indicavit illis aliam fore mulierem, quæ ad jutorio Viri, sed plus quam hominis, jacturam factam multò majore incremento resarciret. Et ut de mulieris

istius

istius sanctitate, ac honore consequenter ei debito, quandam conciperent existimationem, significavit eis, inter mulierem illam, & serpentem, qui suo afflatu ipsos infecerat, interventuram esse inimicitiam implacabilem, imò non unam simplicem, sed talem, quæ alias includeret infinitas: ideoque ipsis ausculantibus, serpenti dixit illimitatas has voces: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Gen. 3. non restringendo inimicitias magis ad unum genus, quàm ad aliud, sed includendo omnes. Cajet. ibid & hæc eximia notitia protoparentibus tradita, successu temporis in Patriarchas & Prophetas divulgata est; quorum animis non minus clara *Beatissima Virginis*, quàm *Messiae* futuri cognitio insedit. Unde & horum plures excubitorium instar, ab excelsa veluti turre prospicientium, & annuntiantium obsessis destinatum & diu desideratum appropinquare sub-

subsidium; videntes Matrem cum di-  
 vino suo partu à longè venientem,  
 eodem tempore, & hujus & istius au-  
 spicatissimum dedere nuncium cæte-  
 ris mortalibus, qui in hac miseriarum  
 valle, non tantùm obsidebantur,  
 sed tot tantisque malis, aliâ metho-  
 do insuperabilibus, oprimebantur.  
 Hæc ipsa cognitio non fuit tam ar-  
 ctis restricta limitibus, quin aliquis  
 ejus radius, in ipsos etiam Gentiles  
 transpareret. Indubitatum est, quod  
 Sibyllæ, quarum decem fuerunt, sin-  
 gulæ de Virgine aliquid scripto nobis  
 transmiserint; Idque terminis tam si-  
 gnificantibus & propriis, & earum  
 quædam nomine proprio *MARIA*  
 eam appellaverint: nempe Deus vo-  
 luit, ut sicut erat futura Mater univer-  
 salissima, non Israël tantùm, sed &  
 gentium; ita & non Israëlitæ soli,  
 magnificas de ea Prophetias edice-  
 rent, sed & sua ipsi Gentiles haberent  
 vaticinia; ut omninò omnes adven-  
 tûs ejus desiderio tenerentur. Hinc  
 inter

inter Gentiles multis sæculis antequam *MARIA* in hoc mundo compareret, Ipsius cultui & altaria & templa sunt extructa, & erant qui Ipsam colerent : imò Deus ipse in Virginis gratia jam ab illis temporibus benevolentia prodigia operabatur. Cedrenus apud Bozium de sign. Ecclesiae sign. 37. meminit hujusmodi templi ab Argonautis ædificati, & oraculo suggerente *Magna Virgini* dedicati. Quod ipsum templum contra reverentiam loco debitam malè postmodum usurpatum, deinde Zenone Imperatore primævo cultui restitutum fuit. Canis. de B. V. l. 2. t. 7. Ægyptiis suis ubique glypticis *MARIAM* designabant, cum infante in præsepio vili reclinato. Druides Gallia celeberrimi Sacerdotes, centum annis ante Christum nascentem, cum pro more suo, ut narrat Julius Cæsar, ad conventiones suas Cartesii convenirent, subterraneum ibidem templum eidem dedicârunt, cum hac inscriptione

one



one: *Virgini paritura.* Eamque statuâ  
 tâ prodigiosâ expresserunt, ut ad eam  
 Melencariaci potentis Dynastæ Filius  
 vitæ restitutus fuerit. Cujus intuitu,  
 & ob alia plura in gentem collata be-  
 neficia, tanto in honore fuit habita, ut  
 Priscus, cùm primùm Rex proclama-  
 retur, ad basin statuæ prostratus, cæ-  
 remonia solenni, totum Ipsi Regnum  
 dicaverit, tanquam si prævidisset ex-  
 •emplar plurimorum Regum Christia-  
 norum, qui tot retrò sæculis ejus  
 cultui se mancipaturi erant. Ex quo  
 manifestè patet, quantum Deo cor-  
 di sit cultus Beatissimæ Virginis MA-  
 RIÆ, cujus ob causam voluit solam  
 Ipsius nondum natæ umbram esse  
 mundo salutarem; & non modo no-  
 bilissimæ hujus plantæ fructus, sed &  
 ipsas frondes, si modo subtus eas con-  
 fugiant, salutis gentium conducere.  
 Verùm ut ab umbris ad serenum diem  
 transeamus, postquam venit plenu-  
 do temporis, ab Ecclesia triumphan-  
 te, militans, modum honorandi Bea-  
 tissi-

tissimam Virginem, edocta fuit; ita ut Ipsâ adhuc vivente primi Christiani, Ipsius visendæ studio, certatim Nazarethum confluerent: existimantes, vel unum ejus aspectum sufficere in remunerationem omnium passum, quos ab uno polo ad alterum fecissent. Nec pietas ista fuit solius vulgi, in excessum aliquem facilè pro-pendentis: Ipsimet Apostoli, sicut inter fideles dignitate præcellebant, ita & primi fuerunt qui normam B. Virginem colendi traderent. Hoc est quod testatur Magnus Areopagita, eorum plures, se præsentem, multis è partibus confluisse, qui ad Virginem inviserent; è quorum numero, & ipse Princeps Apostolorum, non aliâ de causâ, quàm ut summum divinæ magnificentiæ opus denuò contem-plarentur, & in auctoris laudes ex-currerent: *Non aliâ de causâ, inquit de divin. nomin. c. 3 quàm ut MARIAM contemplarentur, & ex ejus contempla-tione infinitâ potentiâ præditam horita-*

tem, quantum ferret imbecillitas eorum laudarent. Nota sunt sublimissima encomia, quibus *Ipsam* in Lithurgia sua prædicat. S. Jacobus. Notum est quod eidem *Ipsæ* templum Cæsar Augustæ dedicaverit: quod idem S. Joannes in Asia, & S. Petrus Romæ postea fecerunt. Ut prætereamus alia quæ *Ipsi* viventi, æmulatione haud dispari discipuli Eliæ Prophetæ in Monte Carmelo, Martha Marsiliæ, Reges Magi in Cranagor, Regina Candacis in Æthiopia extruxerunt; Vid. Nieremb. Bozium, Locrium, ita ut cultus & honor Beatissimæ Virginis, videatur fuisse illud Lac, quo nascens Ecclesia educata fuit: nam pari passu & Christi Domini, & Magnæ Matris ejus cultus propagabatur. Et quamvis rerum edax tempus primævi hujus cultûs distinctam memoriam nobis inviderit, nihilominus, sicut exigua, quæ supersunt, rudera, nobis sufficiunt ad significandum Palatiorum magnificentiam; ita exiguum illud, quod de  
for-

fortunatissimorum sæculorum devotione nobis constat, sufficit, ut fervoris & amoris erga Virginem argumento sit.

Nec inter solos fideles hæc erga Beatissimam Virginem arsit devotio: Gentilium plures, sicut ante adventum Christi notitiam habuerunt tam præcellentis Dominæ, eamque venerati sunt; ita & constat post natum Christum ab eisdem, Illam in honore habitam ac cultam fuisse. Extat authentica memoria antiquissimi cujusdam templi Calicutani, & alterius Culani: Unius in Insulis Fortunatis, alterius inter Sinenses sumptuosissimi, varias famosas hujus Virginis imagines repræsentantis, quin & in ipsa Cataio: in quibus templorum structuris Virginem quandam & Matrem honorantes, ignari venerabantur *MARIAM*; adeoque inter densas tenebras affulgebat illis quidam radius hujus Lunæ, ab ipsorum horizonte absconditæ, Unum hic summè admi-

randum : hunc cultum esse ejusmodi, ut quàmvis crescat, minimè tamen inveterescat, sed plus roboris ei videatur accrescere. Nam Christiani moderni, quantumvis pari cum primævis è sacro baptisinate natali gloriantur, sic tamen ab eorum mortibus differunt, quantum ab auro plumbum ; cui non nunquam obtingit eadem cum auro fodinâ nasci : in hoc nihilominus *Beatissima Virginis* cultu, videntur allaborare ut præcellant primævis. Illorum enim fervorem magis accendere videtur Luminum Pater, qui ex promisso jam olim facto, vult Virgini, quæ Filio Ipsius in terris & vitam suppeditavit, & victû, pro tali obsequio mutuam condigni honoris reddere vicem. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Joann. 12. 26.

## §. III

**H**is prævie dictis, videor mihi, magnâ saltem ex parte, unâ cum antiquitate Martiani cultûs, simul & ipsius

sius universalitatem demonstrâsse.  
 Nam ex iis facilè colligitur, quod si-  
 cut omnium series sæculorum excel-  
 sæ hujus Dominae cultui certatim se  
 impendit, juxta illud oraculum: *Po-  
 nam te in superbiam sæculorum.* Ita se  
 pariter impendant omnes gentes;  
 unde & subjungitur: *Gaudium in ge-  
 nerationem & generationem.* Isa. 60. 15.  
 Nisi angustos adeò limites huic opu-  
 sculo præfixissem, demonstrarem vo-  
 bis, hujus Virginis studiosos cultores  
 esse omnes populos, & unà cum his  
 Principes eorum, saltem à prudentia  
 imprimis commendatos. Quanta,  
 quàmque miranda huc referre liceret  
 de *Constantino Magno, Carolo Magno,*  
*Henrico secundo inter Cæsares?* de *Ludo-  
 vico nono, de Roberto inter Franciæ Re-  
 ges?* de *Alphonso III. Ferdinando* itidem  
*III. inter Hispaniæ Monarchas?* Quid de  
*Eduardo Anglorum, Polonorum Boles-  
 leo, Stephano Hungarorum Regibus?*  
 quid de tot alijs Monarchis? qui à  
 Throno per virtutum gradus con-  
 scen-

scenderunt altaria nostra, post quam sui amoris ergà *Christum* non minus, quàm B. Virginem Matrem præclara dederunt spécimina. Sufficiat vel unico oculo lustrâsse diversas Panegyres laudi Ipsius scriptas, Annales quoque Ecclesiasticos; ut perspicias impensissimum amorem, quò præcipui in Ecclesia viri, dignitate, doctrinâ, sanctitate conspicui, hanc *Cæli Reginam* profecuti sunt. Certè de ea sancti Patres persæpe loquuntur, eâ terminorum sublimitate, ut amicâ interpretatione indigeant, ne exorbitare videantur. Vastam sanè Bibliothecam concinnarent illi calami, qui temporis successu libris ejus honori scribendis insumpti, & consumpti sunt. Ejus imago nunc ubique cernitur in levamen eorum, qui in terris ab ejus facie hæctenus exules vivunt. Hæc Cedris in cisa, cælata metallis, marmoribus insculpta, eruditissimis intexta telis. *MARIAM* sacra plectra totos dies deprædicant & exaltant, Ipsam

afflicti asylum suum altâ voce profitentur; Ipsa navigantium portus, inter procellas errantium Pharus, infirmorum salus, hanc præliantes venerantur & agnoscunt victoriæ collatricem: quorum plures è se jugis etiam Imperialibus descendentes triumphantem Virginem, illic, loco sui, considerare fecerunt; eique labara convulsa, lanceas disruptas, & sagittas obtusas in Anathema appendebunt. Quid ultra loquar? Nonne sanior Ecclesiæ pars sunt Religiosæ Familiæ? nemo abnuet: Hæ omnes, dum *Augustissima Domina sua* obsequia concordi animo deferunt, ejus dotes prædicant, devotionem ergà Ipsam propagant, & sub Ipsius signis & patrocínio se militare gloriantur, rectè dici possunt esse viva quædam ora, seu disertæ linguæ, quæ universalis Ecclesiæ mentem de Beatissima Virgine eloquuntur. Quod si, ex sententia Philosophi, verum est, quod omnibus videtur, necesse est, ut conclu-



damus: Cùm *Beatissima Virgo MARIA* omnibus populis, Principibus, Doctoribus, Sanctis, sapientibus, omnibus denique unanimi consensu Religionibus videatur digna summo honore & obsequio, omni veneratione & cultu dignissimam esse uti videtur. Hæc mihi scribenti, occurrit animo formosissima Esther instar Iridis, Pacis prænunciæ, ablegata; quæ duabus ancillis ejus brachia fulcientibus, & vestimenta in terram defluentia sustentantibus iratum demulceat Assuerum. Viva imago *Beatissimæ Virginis* ad divinum tribunal se sistentis: reclinata super naturam Angelicam & Humanam, quæ concordī obsequio ei ancillantur; nisi quod Angelica præsens eique dexteram porrigens, sit illa, in qua *Beatissima Virgo* delitiatur: Humana verò, quæ subsequitur, & Regium syrma colligit, sit, quam *Beatissima Virgo* ad regiarum suarum virtutum imitationem incitat & allicit. Et si hic apparatus potuit irati

ti numinis cor in amorem rapere, quâ ratione cor nostrum ejus amore non exardescat?

§. IV.

SUPEREST, ut potiozem cultûs & honoris partem, quem Beatissimæ Virgini defert Ecclesia, explicemus: estque illius *Sublimitas*, sine quâ parvi fierent cæteræ duæ dotes explicatæ: id quod & in nummis accidit, in quibus *antiquitas*, & ipsarum *universalis usus* parvi æstimatur, nisi & huic, & illi valor respondeat. Quò ad sublimitatem cultûs Beatissimæ Virgini debiti plenius explicandam, videor mihi intueri Ecclesiam à primo sui ortu in admirationem raptam, & intra se consultantem ad eum modum, quo olim Rex Assuerus cum suo Ammano: *Quid fiet homini, quem Rex honorare desiderat*: Esth. 6. Quo genere cultûs venerabimur Magnam illam Dominam, quam Filius ejus, qui simul DEUS est, desiderat plurimum exaltatam? in cultu deficimus, si eam veluti

ti puram Creaturam veneramus: possidet enim dignitatem quandam quasi infinitam: in eodem excedimus, si ut Divinam colamus, nam communicamus ei nomen, quod uni soli convenire potest. Quam igitur nominis appellationem dabimus Virgini, quæ *Ipsi Uni & Soli* conveniat? Liceat hic mihi dicere, ipsas cœli nubes fore dubias, si cœtum cogerent, consulturæ, quis in cœlo locus Pareliis decernendus esset. Appellare nubem simplicem parum esset, cùm sit nubes repleta Sole; dicere Solem, nimium foret, cùm dici non possit Sol, qui naturâ suâ non assequitur perfectionem Solis, sed radios Solis tantùm excipit, & largè participat. Verùm cùm deceat honores, cum proportione ad collata beneficia potius excedere, quàm illis inferiores esse, videbatur Ecclesia, veluti in dubio suspensa, sententiam Assueri, honores Regios Machabæo decernentis, amplexura, & Beatissimæ Virgini decretura esse ho-

nores soli Regum Regi, ejus Filio  
 proprios, nempe Divinos. Nam si  
 Ecclesia non est verita dictos hono-  
 res tribuere illi Ligno, quod Christo  
 vitam ademit; quare vereatur eos-  
 dem decernere Beatissimæ Virgini,  
 quæ Christo vitam dedit? Christus in  
 Ligno Crucis nil aliud fecit, quàm  
 spargere sanguinem suum in mundi  
 redemptionem; illud videlicet aurum  
 quod ex Matre assumpsit: proinde &  
 cultu Patriæ adoratur illa mensa, su-  
 præ quam Christus tanti pretii metal-  
 lum exsolvit, cur non similis cultus  
 deferatur illi Mineræ, ex quâ Christus  
 solutum pretium eruit? Interim Ec-  
 clesia in definiendo honore Virgini  
 debito rigidè procedere voluit, ne-  
 gando Ipsi, quod mortuo trunco con-  
 cedit: non, quod æstimationem Ip-  
 sius imminutam vellet, quin potius,  
 ut toti orbi declararet *MARIAM* à se  
 infinitè æstimari. Nam decernens  
 Ligno Crucis divinos honores, vide-  
 bat nullum subesse fraudis periculum;

liqui-

siquidem primâ facie apparebat, illos honores, non ligno, quod ejus incapax est, sed in ligno triumphanti Christo deferri: at non ita, si tales honores Beatissimæ Virgini fuissent decreti; suspicio enim sub oriri potuisset, honores istos Beatissimæ Virgini, tanquam Matri & Filio communes deferri, non ob extrinsecum illud encomium, quod ulnis suis Christum complexa fuisset, sicut arbor Crucis conjunctionem illam, contractum & subsidium, quo certo modo cum Christo ad redemptionem mundi concurrat: sed propter intimam quandam cum Christo veræ divinitatis participationem; idcirco Ecclesia vetuit hos honores, cæteroquin justè debitos. Quo sanè interdicto Beatissima Virgo ab Ecclesia summo honore affecta est. Observavit namque Regulas boni regiminis, quas Ipsi quoque Angeli in Moyse observârunt. Hi absconderunt defuncti cadaver, ne populus Hebræorum ejus causâ in detestan-

dam Idololatriam prolaberetur. Neque hoc facto declaraverunt Angeli, Moysen honore indignum esse, sed potius summo honore dignissimum: testabantur enim se æstimare Ipsum tam eximii meriti virum, ut Hebræus populus per errorem quidem, sed non levi apparentiâ fundatum, sibi persuadere posset, Moysen esse quemdam DEUM. Unde si Angeli fuisset manibus pro Mausolæo hujus Prophetæ splendidius, & magnificentius Salomonæo templum extruxissent, me arbitro, minus eum venerati essent, quàm modò, dum oculis Hebræorum subductum, in Monte Sina tumulatum, absconderunt. Hanc Angelorum industriam in cultu Beatissimæ Virgini decernendo imitata est Ecclesia. Magnam ostendit esse Virginem ex honoribus, quos ei defert, sed Majorem ex illis, quos negat: non enim negat, quia illos deferre non posset, sed negat, quoniam no-

vit

vit hos summo jure Virgini esse discernendos. Nam ea est perfectio Beatissimæ Virginis, ut debiles oculorum nostrorum pupillæ in distinguendis obsequiis, non Ipsi, sed tanquam imagini Solis divini, debitis, nimium cœcutiant: imò in hujusmodi illustribus pareliis dignitatem repræsentantis cum dignitate repræsentati facile confundant. Quod si non defuerunt plures, quorum meminit S. Epiphanius, & speciatim Hæretici Coliridiani, qui stultè asseruerunt in Virgine Deitatem, non obstante, quod Ecclesia cultum Latriæ Ipsi deneget; quid fecissent, si hunc ei cultum decrevisset? Profectò ipse Areopagita, vir ævi illius eruditissimus, Idololatriæ periculum incurrisset; qui de se, Virginem primùm invisente, testatur, observâsse in eâ plus aliquid, quàm mortale; & nisi fides remoram inieisset, ad primum Ipsius aspectum prostra in terram reverentiâ, Virginem veluti Deam, adoraturum fuisse. Un-

de Ecclesia *Beatissima Virgini* defert omnem illum cultum, à quo periculum offendendi in scopulum Idololatriæ abest. Huic soli cultum specialem designat, superiorem omnibus Sanctis simul sumptis, quem *Hyperdulia* appellat. Huic applicat illos terminos abstractos, aliàs soli Deo proprios: *Spes, Via, Vita, Dulcedo.* Hanc in Sacrificiis quotidianis honorat: nec his contenta: hanc in solennibus laudibus, quas in officio divino DEO quotidie decantat, post Ipsum DEUM statim invocat; Hujus Nomini quot septimanis unum diem dedicat; hujus memoriæ non unum tantùm, sed plura per annum festa, etiam de præcepto, præscribit. Hanc, ut Fideles salutent, concordi campanæ pulsu, quot diebus eos ter invitat: ad hanc denique in majoribus suis necessitatibus recurrit, processiones instituit, preces indicit, vota nuncupat, & exsolvit, ut demonstret, quàm sublimi  
 post



post DEUM gradu Ipsam censeat esse collatam.

## §. V.

COLit itaque jam dicto cultu Ecclesia Beatissimam Virginem; quia supremum numen, cuius nutui obtemperat, vult eam hoc cultu honorari. *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorari.* Esth. 6. Et quò clarius appareat, DEUM velle Beatissimam Virginem honorari supradieto cultu, voluit ex hoc eodem cultu præclaros in Ecclesia fructus enasci; adeo ut summi Pontifices cœlestis arbitrii Interpretes, exemplo docuerint, medium in calamitate publica efficacissimum è cœlo impetrandi opem divinam, esse *cultum & venerationem Beatissimæ Virginis MARIE.* Sufficiat ex Illustrioribus aliqua recensuisse. Fredericus Barbarossa, ex eorum Imperatorum numero, quos adeò vehemens regnandi tenet ambitio, ut nec Ipsum DEUM throni consortem velint; cùm deliberâset de modo, Ecclesie

clesiæ vitam unico ictu adimendi, statuit ejus caput rescindere, & in hunc finem mortuo Cœlestino Quarto, novi Pontificis electionem impedire. Attamen nec vi, nec fraude longiorem moram injicere potuit, quin lapsis viginti & uno inter dissidia mensibus, eligeretur Innocentius ejus nominis Quartus. Huic autem Imperatoris furori Ecclesia non aliud scutum objecit, quàm Beatissimam Virginem: Illius enim gloriosæ, & jam ante in Ecclesia solenniter celebratæ Nativitati Neo electus Pontifex Octavam adjecit, atque ita primo sui Pontificatus anno, qui erat 1245. Vid. Baron. ibid. Clerum solenni Voto, quo, pro impetranda desiderata electione, se obstrinxerat, exsolvit. Ad eundem portum Paulus II. inter varias & horribiles sui ævi tempestates denique applicuit; dum honori & cultui Beatissimæ Virginis in templo Præsentatæ universalem ubivis terrarum celebritatem an. 1464. instituit: Et quando

do Ecclesia ex scismate quinquaginta annorum fœdè lacerata, videbatur finum lethali vulnere pandisse, quâ obsecro ligatura Bonifacius Nonus sæva Ecclesiæ vulnera obligavit, quam novo Reginae Pacis in Ecclesia instituto cultu, dum festum Visitantis Virginis ante ignotum celebrari jussit. Baron. in notis 2. Julij. Leo quartus festo assumptæ in cœlo Virginis Octavam adjecit, ut exterminaret venenatum Basiliscum, qui oculis, halitu, furore Romæ infestus, nil nisi cadavera & mortes spirabat. Sigeb. an. 487. Hujus Prædecessor Hilarius I. ut extirparet lupercalia, quæ veluti pestifero quodam stigij Draconis halitu Christianum orbem inficiebant, festum Purificatæ Virginis, vel ipso Sole purioris, instituit; quæ in alios puritatem transfundere, recipere nullam poterat. Baron. an. 496. Denique Gregorius IX. ut erigeret Ecclesiam à Friderico Imperatore graviter pressam, jussit Fideles ter quot

diebus, dato campanæ signo moneri, ad implorandum Beatissimæ Virginis fidele præsidium. Arnol. l. 5 lig. vitæ c. 20. Urbanus II. ut aggerem furori Turcico opponeret, jussit omnes Clericos Beatissimæ Virginis Officium quotidie recitare. Baron. an. 1096. Libens prætereo Pium V. Pontificem Maximum, hisce nostris temporibus sanctis annumeratum, qui quantum egerit, ut Christianum orbem, partim spe, partim re faucibus Ottomannicis devoratum eriperet, passim notum est. Præter hæc; quis obsecro alia exiget inditia, ad demonstrandum, quo zelo Ecclesia, æquissima virtutum æstimator, *Beatissimæ Virginis* cultum assiduè promoverit, & quos exinde fructus decerpserit? Quæ si vera sunt, quis neget ea sola sufficere, ut toto corde Illius cultoribus associemur, quam omnes velut unius cordis, & animi, impensissimè colunt ac venerantur.

## CAPUT V.

Quintum Motivum De-  
votionis ergà Beatissimam  
Virginem.

*Beneficia per Ipsam in nos  
collata.*

## §. I.

**P**rimus humanæ libertatis compe-  
des injeçit, non inhumanus, vi-  
etrici ferro Barbarus, sed collato be-  
neficio liberalis amicus. *Qui invenit  
Beneficium, invenit compedes.* acutè di-  
xit Philosophus. Qui gratias invenit,  
invenit compedes adeò tenaces, ut  
qui virtutem vincendi, quâ pollent,  
expertus non est, vel excors, vel cor-  
de indignus sit; cùm resistere possit  
affectui, qui nec à tigridum corde  
exulat, nempe, Gratitude. Proinde  
si quis in amorem *Domina nostra* pro-  
pter eximias dotes quæ Ipsam in se  
summè amabilem, omnique amore  
dignissimam efficiunt, non raperetur;  
is

is profectò rapietur ob singulares ejus favores, qui in æquali gradu Ipsam nobis & bonam esse & beneficam probant.

Omnes à Beatissima Virgine nobis collati favores, possunt brevissimo epilogo paucorum verborum, totius Majestatis ejus compendium perfectissimè enuntiantium, concludi : *De qua natus est JESUS. JESUM Ipsa nobis genuit, & cum JESU quem Thesaurum in Deitatis ærario residuum fecit, qui modo non sit & noster? Quomodo cum illo non omnia nobis donavit? Verùm ut æqua lance trutinemus illud omnia, oporteret intellectu prius assequi illud tenebrosum chaos, in quo sine Christo totum genus humanum jaceret actu sepultum: hoc affecuti, vel unico obtutu perspiceremus, quanta sint illa bona, quæ amabilis nostra aurora suo divino partu nobis advexit.*

Imaginemur nobis extremam Orbis Groenlandiam, partim incognitam,

tam, partim notitia indignam; non solum à sex mensibus quovis anno, quod ei evenit, sed ab evolutis sex sæculis non vidisse Solem; ita ut prætermissa mixtorum generatione, mare congelatum, infœcundæ plantæ; campi arescentes, animalia si non mortua, saltem semiviva; ipsimet incolæ, ex tam longa nocte, vultu, non amplius hominis, sed spectri similes compareant. Quod si post tot sæcula, in hoc tenebricoso orbe humanæ vitæ horridor ac fatali, formosa quædam aurora improvisò exurgeret, quæ infortunato huic horizonti Solem beneficentissimum annuntiaret, cujus virtute, brevi temporis spatio, mutatâ rerum facie, terra reviresceret, aquæ ad primævum redirent vigorem, repulularent plantæ, prata novo flore niterent, bruta animalia renascerentur; Ipsi denique homines eo in loco, qui paulò ante sepulchrû horroris erat, veluti Elisijs campis jucundè viverent: quæ obsecro, animi

gratitudo, quis amor ab incolis deberetur auroræ tam excellenti benefactrici; Mirum foret, si fulgore adeò inexpectato, non dico illustrati, sed quodammodo siderati, præ gaudio non adorarent, unà cum Sole tam sibi optatam, enascentem auroram, veluti divinitatis archetypon, quamvis illius sit sola imago. Hoc certum est, non secùs ac omnes naturæ effectus sunt beneficia Solis, ita & istos habenda esse mera auroræ beneficia, quæ post longæ & molestæ noctis tristitia fastidia, in ipsos tandem contulit. Cogor hic accusare sensuum nostrorum fallaciam; spondent subsidium ad explorandam veritatem, sed fallunt, ad pleniorum veritatis captum, à sensibus subministrata est jam dicta similitudo, quæ imaginaria potius est, quàm realis. Verùm quid aliud subministrarunt, quàm titionem, quo vel aurum, vel ostrum depingam? quæ proportio tenebrarum cum peccatis? quam Solis increati perfectionem hic Sol

mate-



materialis exprimet? Illum dico, qui nec formosus nec beneficus est, nisi quia alterius umbra est. Ecquis tandem hunc Solem, illo jam dicto longè nobiliorem nostris tenebris infudit? *Una Beatissima Virgo. Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens.* Eccl. 30. Ego Illa fui benefica aurora, quæ Solem, solis Angelis lucentem, humano hemisphærio invexi. Per me tandem vident oculi corporei Solem illum, qui solo intellectuali oculo hæctenus fuit conspicuus; in Virgineo sinu meo fregit splendidissimos suos radios, ne videntes obcoecarentur, in hoc sinu ex mole sua Gyganthæa fecit Pygmæum: in hoc sinu deposuit suam Majestatem; ex hoc sinu tam vehementi in hominem fugitivum arsit amore, ut illius insectandi gratiâ progressus sit ultra Solem materialem: in mapalia, ubi eum genui, in nemora, ubi abscondi: in officinas, ubi educavi: subtus terram, ubi eum in occasum vergentem, unâ & brevi pas-

passionis nocte sepelivi, ut tantò senior resurgeret in illum diem, qui nescit occasum, & quo in cœlesti gloriâ modò gaudet. Ego, denique, *Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.* sunt quæ de semetipsa summo jure Beatissima Virgo. Si divinissimum huic Solem sub nube accidentium Eucharisticorum absconditum, nil hætenus retinet, quò minus nostram terrestrem Jerusalem, paulò minus quàm cœlestem, in qua videtur sicuti est, irradiet; an non & istud Magnæ huic Matri debetur? ex Ipsa assumpta fuit purissima Caro, quæ nos pascit: ex Ipsa sanguis qui nos potat? Unde ex larga portione, quam in epulo Eucharistico de sua substantia nobis apponit, poterit *MARIA* nos quoque invitare ad convivium à se apparatus: *Venite, comedite panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis.* Prov. 9. 1. Quod si pari modo de cæteris loquamur, clarè videbimus, tot esse nexus, quibus Beatissimæ Virgini, tanquam

de-

debitores, adstringimur, quot sunt beneficia, quibus à Christo ditamur.

## §. II.

**Q**Uæ omnia vel ex eo in majori pretio habenda sunt, quod Beatissima Virgo tantorum bonorum non modò fuerit materialis sed & moralis causa. Nam, ut supra diximus, non aliarum Matrum more Christum concepit, antequam illum nôset, sed prius novit; & inter alios millenos Ipsum unà cum omnibus, ab ejus natiuitate profecturis; voluit. Magno proinde & humano intellectui impari debito Virgini obligamur. Si felicissima Moysis Mater, beneficia, à Filio in afflictam Hebræorum gentem derivanda, præ nôsse potuisset; scilicet natum suum jam adultum, quendam quodammodo DEUM futurum Israël in salutem, Pharaoni autem in vindictam; & in hunc finem infantem cum summo vitæ periculo abscondisset, magnâ curâ & sollicitudine lactâset,

set, singulari amoris affectu enutriisset, memori semper animo cogitans, se populi sui salvatorem servare: etiam demississima totius populi gratitudo, huic præcellenti beneficio longè inferior fuisset. Fingite superstitem vixisse hanc Matrem eo ipso tempore, quo jam Terrâ promissâ victricibus armis expugnatâ, sub aureo Salomonis imperio, populus Israël circum circa altissima pace fruebatur. Quid si hoc ipso fortunatissimo tempore omnes, inter varia exultantis animi inditia, præsentem statum suum cum durissima Ægypti servitute contulissent; si memoriâ relegissent vias illas magis prodigijs, quàm Patrum suorû signatas; noctes investigijs illorû gratiam illuminatas, maria in expeditum iter ultrò aperta; rupes in refrigerium ipsorum emollitas; cœli rorem in cibum & refectioem illorum induratum; hostiles exercitus ad solum aspectum profligatos; civitates expugnatas, Regibus sceptrâ  
 ademp-

adempta, tributarios Reges, nationes subjugatas. Quantâ æmulatione cæteræ matres hanc Heroïnâ contem-  
platae fuissent? & quando tandem desisset ille populus exclamare: Bea-  
ta viscera quæ tantùm partum Israëli genuerunt; beatæ manus, qui furenti Pharaoni eum subdlexerunt; beata ubera quæ lactaverunt! Utique sibi persuasissent singulæ, prodigia à Moyse olim facta, totidem erga talem genitricem fuisse debita. Videtur æqua comparatio attamen à Veritate tantùm abest, quantum Palæstina à Paradiso. Nunquam O *Augustissima Domina & benefactrix mea*, nunquam spero futurum, ut Tuorum, in me, summam debitorum intellectu meo assequar, præterquam illa optatissima hora, qua, Te patrocïnante, ex umbra mortis ad regionem vivorum transferar: à primo in optata cœli limina ingressu retrospiciam, & oculis dimetiar, immensam illam peccati à gratia distantiam: in spatio illo in-  
ter-

terminabili intuebor ad longum scriptam meam ergà Te obligationem. Quod si *Beatissima Virgo*, non causa, sed pura occasio nostræ salutis extitisset, profectò ex hoc solo capite nimis angusta forent mortalia pectora, quæ caperent nostra ergà Ipsam debita. Quæ igitur & quanta erit in Virginem obligatio, cum non modo sponte tantorum bonorum causa extiterit, neque hæc solùm nobis desideraverit, verùm etiam ferventissimis suspirijs eadem acceleraverit? Non est quod speremus non unquam pares gratias referre posse: *Ipsa enim omnium salutem desideravit, quæsivit, impetravit, imò & salus omnium per Ipsam facta est*; uti loquitur Ricardus à S. Victore, *unde & mundi salus est.* in Cant. c. 26.

## §. III.

**N**ihil aliud hæctenus egi, quàm ut probarem *Beatissimam Virginem* donasse nobis Christum; qui cum virtualiter sit omnibus omnia, in illo  
do-

donâsse nobis omnia. Attamen sancti Doctores multò plus nobis innuunt, quando plenis buccis eam appellant *Reparatricem nostri damni, Mediatrix DEI & hominum, Canalem gratiæ cujus scaturigo Christus*; Indicare volunt non tantùm *Ipsam* omnia nobis hæctenus donasse virtualiter, uti diximus, sed & dare nobis omnia actualiter, concurrente ad singulas particulares gratias, quas Christi intuitu divina nobis misericordia impertitur. Quoniam verò ex solida hujus veritatis notitia plurimùm pendet, æquum est ut eam firmiter roboremus, factò ascensu, quàm possumus, altissimo, ut fauces beneficentissimi Gangis è Mariani cordis, Paradiso scaturientis, totamque terram aureo torrente fœcundantis inveniamus. Hæ fauces, binæ sunt gratiæ, quas à divina misericordia Beatissima Virgo *Sibi & nobis* meruit: Unam in Christi Domini Incarnatione, alteram in amarissima ejus Passione.

Quò ad primam Virgini concessam gratiam observatu dignum occurrit: esto DEUS noster sit, qualem Ipsum describit Apostolus: *Dives in misericordia*: attamen in opulentissimo suo gazopylacio non continebat, nostro intelligendi modo, integram eamque bipartitam misericordiam: quia, juxta doctrinam Angelici Doctoris, partes quæ eximiam hanc virtutem componunt sunt duæ: quarum altera, ut ita loquar, materiæ vices subit, quâ compatitur miserijs proximi; altera formæ, quâ ipsi opitulatur: hæc posterior misericordiæ prærogativa competebat DEO in perfectione summâ & infinitâ; unde generi humano varijs ærumnis afflictio benignissimè subveniebat. Prior quæ erat compati alienis malis, haud quaquam DEO conveniebat, & ideo homini oppresso non compatiiebatur. *Tristari enim de alterius miseriâ non competit DEO, sed repellere miseriam alterius hoc maxime competit.* S. Thom. 1. p. q. 22. art. 3.

Quam-



Quam obrem nos imperfecti videbatur arguere in suprema illa misericordia, nescio quam, imperfectiorem: apprehendebamus bonam, benignam, beneficam, sed nostris malis minimè compatiens. Attulit huic malo medelam *Virgo Beatissima*, Verbum divinum vestivit humana carne; fecit Christum passibilem, & hoc ipso compatiens. Unde vel maxime decebat, huic Magnæ Mariæ, quæ supremam, ut ita loquar, divinæ misericordiæ lineam quodammodo addiderat, eximiam quandam reddi remunerationem. Sed quæ videri poterat maximè accommodata? Hæc sanè: Ut *Opt. DEUS* tantam, succurrendi nobis in omni necessitate nostrâ, facultatem Beatissimæ Virgini largiretur, quantam *Ipsa* Compassionis ergà nos tenerationem divinæ misericordiæ ergà nos contulerat. Hæ sunt vices quas DEUS Ipsi rependit. *Soror nostra*, uti sacrum epitalamitum canit, *Parva est, & ubera non habet.* Cant. 8.

Nondum hæc Domina sui statûs perfectionem attigit: *Parva est*: Cor ejus capacissimum est, quod compati possit omnibus totius mundi peccatoribus, sed *ubera non habet*, quibus illos lactet. At habebit ubera lacte plena, si ipsa donet Christo partem suæ compassionis; hic verò Matri partem suæ potentiæ: atque ita tam *Hic*, quàm *Illa*, fiant in suo genere perfectè misericordes, & unà cum affectu, tam præclaræ virtutis effectum teneant. *Christus sit instar Capitis, Beatissima Virgo instar Colli: Christus sit Concha, Beatissima Virga Canalis: Christus auctor, Virgo adjutorium.*

In hoc negotio, si rectè expendere, divina sapientia observavit proportionem illi simillimam, quam in terrestri Paradiso: isthic: *Tulit DEUS unam de costis Adæ, & replevit carnem pro eâ: & edificavit costam, quam tulerat de Adam in mulierem. Gen 2.* Admirandum sanè mysterium: in formatione Evæ aufertur Adæ costa, & re-

po-

ponitur Caro, aufertur fortitudo, & redditur debilitas: è contrà in formatione Christi aufertur è Virgine caro, & redditur costa; aufertur debilitas & redditur fortitudo. DEUS fit debilis, & formatur mulier quodammodo omnipotens. Misericordiæ increatæ comunicatur affectus Compassionis, & misericordiæ creatæ datur effectus subventionis. Unde sicut in Genesi dicitur: *Tulit costam, & replevit carnem pro eâ*: ita prodigiola quâdam antithesi hic dici potest: *Tulit carnem & replevit costam pro ea*. Verbum æternum ex *Beatissima Virgine* non assumpsit fortitudinem, sed infirmitatem, pro infirmitate quam assumpsit, fortitudinem reddidit. Hæc nimirum DEO agendi est methodus, nunquam vinci beneficio. Regina Saba Salomoni Regi dona attulerat usque adeò peregrina, ut tota stuperet Hierosolyma: *Non fuerunt aromata talia, ut hæc, quæ Regina Saba dedit Regi Salomoni.* 2. Par. 9. At Regina Sabæ li-

beralitatem longè vicit Regis Salomonis munificentia: nam *Rex Salomon dedit Regina Saba cuncta quæ voluit, & multò plura quàm attulerat ad eum.* Ita & Regina nostra divino suo Salomoni, dedit dona adeò peregrina, ut similia in cœlesti Hierosolyma nunquam hucusque visa fuerint; ea scilicet, quæ sola Ipsi necessaria erant ad perficiendum magnum humanæ Redemptionis opus à cœlesti Patre Filio injunctum. Circumdedit eum carne, & compassionis teneritudine similem fecit illis, quibus suam destinabat misericordiam. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Hebr. 2. Verùm eodè prorsus tempore ab Ipsiùs divina munificentia recepit dona multò majora: *Multò plura quàm attulerat ad eum.* Nam pro dono quod divino cordi Virgo largita est, quando donavit Filio misericordiam in affectu, redditum est, Matri, ut sit arbitra omnis affectus, qui à divina misericordia in nos derivatur. Et hæc prima est

scaturigo liberalitatis *Mariana*, universalissimè ad genus humanum sese extendentis. Gratia, scilicet, quæ Ipsi obtigit à misericordia DEI sui, in ejusdem Incarnatione.

Examinemus alteram quoque gratiam quam Beatissima Virgo ab eadem misericordia promeruit in Passione Domini; luctuosa illa, coram innumerabili populo, in theatro Montis Calvariæ, exhibita tragœdia; in qua dira morte occidebatur DEI Filius; quamque Virgo Mater arbori Crucis assistens, non otiosa spectavit, sed cui verè cooperata est. Neque dixeris: Christum Redemptionis opus nullo opitulante explevisse: *Torcular calcavi solus*. Nam idem ille; qui ex funestæ Crucis patibulo, sese totius mundi victimam imolabat, profectò non minus erat Filius Virginis Matris, quàm esset Filius DEI Patris: Unde sicut Patri, pro sua gloria & hominum salute Filium suum Unigenitum morti tradidit, ita quoque pro

gloria Patris, & humani generis salute eundem illum Beatissima Virgo morti consecravit. Ad quod obstupescens S. Bern. tom. 1. serm. 51. c. 4. ait: *Ut servum redimerent, Filium communem tradiderunt.* Omnino credibile est, quemadmodum Verbum æternum voluit explicitum consensum Beatissimæ Virginis, antequam in utero ejus vivere inciperet, ita quoque ejus consensum exquisivisse, antequam in ligno Crucis vivere desineret. Unde vale, quod Christus Dominus Beatissimæ Virgini ante Passionem suam dixit, non fuit simplex valedictio; fuit postulatio consensûs in profusionem Vitæ, quæ tanquàm Filij, etiam ad Virginem, veluti Matrem, quodammodo pertenebat. Et quia Beatissima Virgo tempore Valedictionis, & multò magis ad pedem Crucis, illam, in hac divinâ victimâ sibi competentem partem, tantâ animi promptitudine obtulit, ut, si ita Patri æterno placuisset, suis eam manibus

nibus ultrò immolatura fuisset, suam-  
 que animam in Filio, Virili robore,  
 transfixisset, idcirco in præmium tam  
 generosæ resolutionis, concessum est  
 Virgini, ex parte saltem aliquâ, parti-  
 pare vim applicandi merita pretiosi  
 hujus sacrificij; & divinæ misericor-  
 diæ fieri instrumentum, in elargitione  
 bonorum, ad humani generis salutem  
 destinatorũ; sicuti fuerat instrumen-  
 tum hujus quoque Sacrificij, quod  
 præ omnibus summum & maximum  
 est. Neque de eo, quod modo dixi-  
 mus, dubium esse potest. Pro insigni  
 & omninò promptâ voluntate, quâ  
 Abraham innocentem Filium suum  
 Isaac, in monte, DEO immolare pa-  
 rabat, præmij loco nominari, & esse  
 meruit *Pater omnium credentium*: id-  
 que formâ verborum planè singulari  
 & solenni: *Quia fecisti rem hanc, &*  
*non pepercisti Unigenito Filio tuo propter*  
*me, benedicam tibi, & multiplicabo se-*  
*men tuum, sicut stellas cœli, & sicut are-*  
*nam qua est in litore maris. Gen. 22.*

Profectò, si non unius Isaaci, sed quot quot ex divinâ promissione futurî erant Filij, Vitâ obtulisset, plus dici non poterat. Si hæc DEUS Abraham Patriarchæ pro voluntate immolandi Filium Isaac; quantum putatis divinam misericordiam obligatam fuisse *Beatissimæ Virgini*; postquam ad Patris æterni gloriam, animo tam excelso, unigenitum suum consecrasset, & pro generis humani redemptione obtulisset illam ipsam Vitam, quæ una, in se erat infinitè dignior, non Isaaco, sed omnibus simul sumptis pro quibus eam immolabat? Congruebat sanè ut Pater æternus diceret Virgini: Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito Filio Tuo, nihil erit, quod amore Tui non faciam. Tu affectibus Tuis statuisti normam & regulam, non naturæ propensionem, sed meam voluntatem; cui, ut Te perfectissimè conformares, Filium Tuum in sacrificium obtulisti; & idè in præmium tam generosi &



magnanimi operis, reddam Tibi pro-  
lem electorum innumerabilem. *Tu  
Mater eris Viventium, Tu Thesauraria  
mea Liberalitatis, Tu gratiarum mea-  
rum Dispensatrix, Justitiæ moderatrix,  
Cordis mei arbitra.*

Clementiæ meæ, cui hæctenus alia  
lex scripta non fuit, quàm voluntas  
mea, deinceps legem scribing Verba  
Oris Tui, & tantum boni à me terra  
consequetur, quantum Tu pro ea in  
cælo postulaveris. In hunc modum  
æternus Pater Beatissimam Virginem  
alloqui debebat, ut in ea ad implere-  
tur quod in capite laudum Magnæ  
hujus Advocatæ Matris scriptum repe-  
rio: *Lex clementiæ in lingua ejus.* Prov.  
31. & nôrint omnes; quò sese exten-  
dit Christi potentia per Imperium,  
eòdem quoque Beatissimæ Virginis  
potentiam sese exporrigere, per illas,  
quas ad DEUM fundit preces: & hanc  
intercessione suâ concurrere ad om-  
nes, & eosdem pietatis effectus, quo-  
rum, Virtute suorum meritorum

Christus principium & causa existit. Nolo mihi fidem adhiberi, si laudes & encomia loquar, quæ Beatissimæ Virginis dignitatem vel in minimo excedunt; Verùm quia omnes prærogativæ non modò non transcendent, sed longè inferiores sunt illo gradu, quem obtinet, Maternitatis DEI, audeo dicere: Ipsius meritis salutem humani generis de congruo à DEO donatam esse, quæ de condigno debetur sanguini nostri Redemptoris: neque per excessum loqui Divum Bernardum, dum inquit: *Sic est voluntas ejus qui omnia nos habere veluit per MARIAM: & jure eandem humillimam Virginem de se Ipsa S. Brigidæ dixisse: Sicut Adam, & Eva vendiderunt mundum, pro pomo, sic Christus, & ego redemimus, quasi uno corde* Ex hisce, ut mihi quidem videtur, sufficienter innotescit illa potentia vena, quæ bono nostro ex Beatissima Virgine MARIA largissimè scaturit.

## §. IV.

**S**ed quis explicet illam voluntatis propensionem quâ Virgo hâc suâ potentiâ utitur? Indubitatum est, Ipsam in divino Verbo, velut speculô terfissimo videre omnes necessitates nostras: Si enim DEUS has revelat Angelis, quos nobis custodes dedit, ut succurrant necessitatibus nostris; quomodo celabit eas Matrem suam? cui magis commendavit salutem omnium, quàm singulis Angelis salutem Clientum suorum. Jam verò, si tam clarè intueatur necessitates nostras, quis ausit dicere, eam his visis non moveri, non condolere, non ad Filium advolare festinanter, ut subveniat? Quisquis ille foret, is quoque asserere non formidaret, Cor Beatissimæ Virginis ferocius esse Tigride ergâ suam prolem. Certè si Beatissima Virgo immoto supercilio nostras ærumnas, nostrasque strages intuita, eas minime à nobis arceret, jam olim in Salomonis Dicasterio pro Matre non fuisset

habita, qualem se promittit, sed pro ea, quæ Matrem se esse simulat, S. Epiphanius, qui lib. de Laud. Vir. Beatissimam Virginem aptissimè dicit *Oculum* miserias nostras cernentem, poterat & eandem dicere *Cor* nobis compatiens, quin & *Manum* nobis subvenientem. Utinam ! utinam in clara luce exhibere possem gratias & beneficia quæ omni ævo, omni statui, omni regioni hæc Virgo impertit. profectò ipsa ingratitude ad thronum tam amabilis benefactricis, tota attonita arma sua submitteret, & se victam profiteretur. Non abs re dici potest, quod sicut in firmamento Via lactea est continua stellarum series, quæ numero & splendore suo lucidam illam, inter cætera astra, viam format; ita cujuslibet hominis vita, non est nisi continua quædam beneficiorum Beatissimæ Virginis, ergâ nos congeries. Ipsa enim suarum gratiarum multitudine & numero se Duce[m] splendidam homini præstat ad

sa-

salutem. Huic Marianæ liberalitati plenissimam fidem faciunt omnes omninò gentes, quæ templorum Virgini dicatorum numero & copiâ, obsequiorum assiduitate, famulatu nunquam interrupto, & indelebili votorum memoriâ, unâ quodammodo voce confitentur se agnoscere *Beatissimam Virginem MARIAM* omnium gratiarum esse *Mediatricem & Fontem*, quamvis nullo unquam tempore illam planè & perfectè cognoscent: nam in nocte hujus sæculi, illa beneficia sola cernuntur, quæ infirmis sensibus nostris obvia sunt. Veniet tandem, veniet serena illa dies, qua suam quisque ignorantiam obstupescens, in plena charitatis meride, præ gratitudinis jubilo exclamabit: *Antecedebat me ista sapientia, & ego ignorabam, quoniam horum omnium Mater est.* Sap. 17. v. 12. Ego, de se quisque fatebitur, vita mortali vivens, nullo gradiebar passu, quin hæc, mihi Mater, gratiis suis viam signaret: Atta-

men ignorabam vim amoris Ipsius, & beneficiorum multitudinem, ad quæ amor mei Virginem urgebat, & ignorabam, quoniam horum omnium Mater est. Si terra quaquâ versum transpareret, stuperet Maris in se beneficentiam; simulque agnosceret, illam esse minimam aquæ partem, quæ ipsi irrigandæ, nobis cernentibus, è cœlo depluit; & hanc longè vinci à subterraneis aquarum venis, quæ non interpolatis vicibus, sed assiduè, fœcundandis terræ visceribus, sensim sine sensu, suos è mari humores transmittunt. Adverteret nullam esse sui partem, quæ præter exundantes aquas, Ipsam quoque vitam mari non debeat. Experiretur mare in quemcumque tandem locum penetraret, seseque insinuaret, eò ingenij sui quodammodo vires intendisse, ut inveniat modum, quo aquas, contra ipsarum naturam & indolem, ad inaccessos usque montium vertices transfundat: hæc omnia cum admiratione

Terra videret, si oculata simul & diaphana foret.

Sed longè clarius Beatissimæ Virginis munificentia à nobis conspiceretur, nisi abundantia gratiarum, aut earum sublimitas obtusos sensus nostros excederet. Cerneremus uno intuitu insignes illas Victorias sub Beatissimæ Virginis præsidio reportatas ab Heraclio contra Persas, à Narsete contra Gothos, à Zemisce contra Bulgaros, à Pelagio contra Arabes, à Lusitanis contra Angelanos, ab Alphonso contra Mauros, ab Austriacis contra Turcas. Cerneremus, inquam, has, & hisce similes Victorias, patrocinate Beatissima Virgine, obtentas, cum cæteris occultioribus, sed majoris pretij, triumphis collatas, quos pro nobis decertans, assidua præliatrix ab universa orci potentia gloriosè reportat, esse manipuli instar, à facie innumerabilis exercitiûs. Videremus auxiliatricem ejus dextram in variis periculis à fide

de:

delibus agnitam, diversa morborum  
 lethalium genera curata, plurimorum  
 vitas à morte ereptas: quæ, quamvis  
 satis testata sint innumeris anathema-  
 tibus, è templorum parietibus passim  
 pendulis; sunt nihilò minus velut  
 exiguæ *Mariana* beneficentiæ stillæ,  
 comparatæ continuo beneficiorum,  
 quæ in nos depluit, diluvio. Videre-  
 mus ut paucis multa, nullam esse par-  
 tem Ecclesiæ tam inhabitatam, quæ  
 excludatur à gratijs Magnæ nostræ  
 Principis. Ipsa enim omnium corda  
 penetrat, dura emollit, Sylvestria ir-  
 rigat, sterilia fœcundat, & usque ad  
 cacumina elatorum montium, qui  
 humili prece, ejus Majestati, se mini-  
 mè inclinant, has gratias suas persæ-  
 pe transfundit, & indeficientem, De-  
 votionis, Doloris, lachrymarum sca-  
 turiginem ex insensatis illorum cor-  
 dibus elicit. Foret, profectò, non  
 ingratum oculis nostris spectaculum,  
 si debitorum, quibus Virgini obliga-  
 mur, catalogus eisdem panderetur?



Debitorum talium, tamque enormium ut ad illa, vel leviter, exolvenda, oporteret totam mundi machinam in unum consecrare templum, cujus quotquot sunt, vel erunt incolæ, contemplatione tam eximiæ, erga nos munificentia stupore plenitransirent in statuas, ab admirationis excessu inanimes. Sed quod in sæculi hujus caliginosa nocte spes non permittit, hoc fides suppleat; cujus imperio, non illa solum brachia, quæ tot in nos beneficia apertè & palam, sed illa potius, quæ clam & occultè plurima in nos conferunt, devotè veneremur, summæque benefactrici insignum grati animi præbeamus corda nostra, eaque deponamus in ipsa smet manus *Beatissima Virginis MARIAE*, manus illas, quas DEUS gratiarum suarum Thesaurarias esse voluit.





## CAPUT VI.

Sextum Motivum Devotionis ergà Beatissimam Virginem.

*Amor ejus ergà nos.*

§. I.

**B**eneficia, excellentiam & valorem suum trahunt ab Amore, sine quo instar exanimi cadaveris, quod mutuum amorem ciere nequit, pretiosa quæque munera frigent. Nec immeritò, nam qui tantùm benefacit, largitur exiguam suorum bonorum partem, at verò qui amat, largitur omnia, dando se ipsum. Unde si debito illius, qui absque amore se nobis liberalem exhibuit, levi manu aut brachio satisfacere valemus; Attamen amici nos amantis debitum, nunquam de condigno, nisi reddito cordis redamantis affectu, ex solvi poterit: ac proinde cum pro tot, tam eximiis, è sinu Mariani pectoris, sine ulla interruptione in nos diffluentibus

bus donis *Virgini Beatissima* summè obligatissimus, quem tandem devotissimi animi affectum rependemus ejus *amori*, quo sua in nos beneficia plurimùm extollit & nobilitat? Profectò hunc amorem expressurus calamus meus, impingit in difficultatem quam *Pictores* experiuntur Ignem depicturi, ad cujus imaginem omnes penicili ductus & industria languet. Attamen existimo aliquam *Virginei cordis umbram* à me efformandam, si pinxero Illam in imagine *Virginis* quaque versum oculos gyrantis, sive in se *Jpsam*, sive in nos, sive in *DEUM*, & undique *charitatis flammam* spirantis, instar *Phœnicis*, cui & *nidus*, & *plumæ*, & *Sol ipse*, componendo rogo deserviunt.

## §. II.

**P**Rimò in se *Jpsam* oculos reflectens, videt se lege publicâ, è *Crucis throno* promulgatâ nominatam, *Materem nostram*: ideòque in *memoriam* revocans, eas ultimas fuisse vices, qui-

quibus Filius jam morti proximus Matri suæ locutus est, quando dixit: *Mulier ecce Filius tuus.* Et has voces fuisse supremæ ejus voluntatis indices, ultimam nostri recommendationem, extrema Filij ad Matrem monita, qui fieri poterit, ut ineffabilis erga nos amoris excessu non langueat? Observandum namque est, Christum in hoc testamento non legâsse *Beatissimam Virginem Joanni* tanquam *Dilecto*; sed tanquam *Discipulo*: *Dicit Discipulo, ecce Mater tua*: adeòque non reliquisse Matrem Joanni, tanquam Legatum Ipsi soli factum, sed tanquam hæreditatem in genere spectantem omnes Christo adherentes, & hanc hæreditatem adijisse Joannem, tanquam *Discipulum*, nomine omnium fidelium, non privato suo nomine, tanquam *Dilectum*: & ex illa hora accepit eam Discipulus in suam Joan. 16. v. Tolet. in Joan. ubi dicit, Christum è cruce non declarâsse *Beatissimam Virginem fidelium Dominam*, sed *Matrem*. Si di-

dixisset: esto Domina: sis hujus mundi, per absentiam meam, mox concutiendi, tuâ præsentia Conservatrix; Jam satis erat ad hunc finem Beatissimæ Virginis præsentia; sufficiebat, unâ cum manu auxiliatrice, Mariani animi benignitas; sat superque erat benevolentia & gratia potentis Dominae: at hæc muneri imposito minime satisfaciunt, cum Christus disertè dixerit: *esto Mater*. Exequendo muneri Materno non sufficiunt beneficia, sed amor beneficijs junctus requiritur. Proinde licet Charitas universalis lege non obligaret omnes, nihilò minus, ex ratione jam dictâ videtur Beatissima Virgo speciali amoris Vinculo nobis obstringi. Et si Virgo sub Cruce non sensisset in Virginali suo pectore tenerrimæ pietatis viscera, quæ, exequendo injuncto muneri Universalis Matris totius Ecclesiæ, summè necessaria erant, certè non sola congruentia, sed æquitas exegisset, ut hæc Ipsi communicarentur.

tur. Quemadmodum Regi Salomoni, ad regendum numerosissimum populum, qualis erat Israeliticus, datum est cor capax, quantum est Litus maris: sic quoque *Beatissimæ Virgini* ut foret idonea Mater populi, plus multò innumerabilis, qui sunt fideles omnes, cor capax dari debuit, quanta est amplitudo cœli; quo nulli secunda, omnes grandi affectu exciperet. Neque ullum de eo dubium esse potest: natura enim nec ipsas quidem Tigrides facit Matres, quin eis proportionatum Amorem instillet, quod ipsum certè gratia in Matribus non negliget. Imò ad tenerrimi in nos amoris, excessum jam tum Christus disposuerat Virginem, quando Ipsam in Matrem suam elegit. Medicis notum est, per Venas lactis non tantùm qualitates nutricis facilimè transfundi in prolem: sed & prolis qualitates in nutricem: esto facilius transmittantur noxiæ quàm salutares: neque enim rarò id accidit, ut nutrix ab infante, quem lacta-

lactabat, morbo, quo hic occultè laborabat, infecta fuerit. Quod si verum est, utique Infantulus JESUS bonas qualitates suas æquè potuit transfundere in animam Matris, quæ una, & unica Nutrix Ipsius erat, quàm alij infantes qualitates noxias in corpora nutricum suarum. Existimo eodem ipso primo instanti, quo Beatissima Virgo Cor Filij sui, illam Charitatis fornacem *meros ignes spirantem*. Eccl. 4. Pectori suo applicuit, omninò suffecisse, ut in bonum nostrum subito arderet tali amoris incendio, quo, ab illo momento, matura fieret mater. no ergà nos muneri, ad quod destinabatur Mater, quæ solem lactat, magno utique æstu, ardore ingenti inflammatur. Facilis proinde conjectura est, quo ardore Beatissima Virgo in nos succensa fuerit, quando papillis suis divinum illum partum, tanto nostri amore flagrantem, applicuit: Sic Virgo, dum oculos ad *se Ipsam* reflectit, inexplicabilis ergà nos charitatis affectu inardescit. H 6. III.

## §. III.

**S**ed neque hic amoris æstus refrigeratur, dum ad nos reflectit oculos suos: Imò verò felices nos, quibus Ipsa etiam demerita tantæ Matris amorem conciliant. Aristoteles in suis Problematibus indagat causam, ob quam Mater tenerius amet suos partus, quàm Pater? Rationem, inter cæteras magis ingeniosam, hanc affert, quod Patri nascantur proles cum delectatione; Matri verò cum dolore; ac proinde, ex eo, quod Matribus pluris stant Filij, fiunt his quoque chariores; non secus ac merces carius emptæ magis gratæ ac charæ sunt. Nos itaque totos oportet esse *MARIE*, quos Ipsa in extasi maximorum dolorum sub ligno Crucis peperit. Hæc formosa Rachel, Primogenitum suum, non unius Ægypti, sed mundi totius liberatorem, in imâ lætitiæ abyssu enixa est; Verùm dolores à quibus in primo partu immunis fuit, mille millies in secundo accumu-



mulantur. Ut fieret Mater nostra, oportebat Ipsam transmittere vastum mare angoris & doloris, qui comparati reliquorum Martyrum doloribus & angustijs, tantum inter se discrepant, quantum brevis navigationis, incommoda ab infelici naufrago. Reliqui Sancti Martyres in corpore tormenta subierunt, Beatissima Virgo in anima: *Tuam Ipsius animam pertransibit gladius, doloris.* Anima præ corpore magis est disposita ad percipiendum doloris sensum; nam corpus sine anima nullos dolores, aut anima sine corpore etiam acerbissimos sentire potest.

Ad hæc Sanctis Martyribus intermedia tormenta potentissimum doloris lenimen erat amor, qui illum sic mitigabat, ut inter Cruces, flagra, catastas, ardentis rogos, videretur, is qui patiebatur diversus esse ab eo qui loquebatur: *Tanquam alius esset qui torqueretur, & alius qui loqueretur.* Dicebatur de Sancto Laurentio, id

quod cæteris quoque aptari potest : è  
 contrà verò in corde B. Virginis amor  
 non fuit balsamum medendis vulne-  
 ribus, sed fel eisdem magis exasperan-  
 dis. Mensura tormentorum , quæ  
 Sancti Martyres patiebantur, licito-  
 rum erat sævitia & crudelitas, men-  
 sura verò dolorum Beatissimæ Virgi-  
 nis, ingens amor. Et quantò inter-  
 vallo amor Virginis anteibat crude-  
 litatem Tyrannorum, tantò & dolor  
 ejusdem superabat istorum carnifici-  
 nas. Hinc est quod Isaias eam videns  
 primipilam exercitûs innumerabilium  
 Martyrum, veluti *dolorum Reginam*  
 attonitus exclamet: *Cui assimilabo Te,*  
*aut cui exæquabo Te, Virgo, filia Jerusa-*  
*lem :* & denique ex stupore, quò te-  
 nebatur, sibi redditus, finiat his ver-  
 bis: *Magna est velut mare contritio Tua.*  
 Thre. 2. vers. 13. Nihil superest quod  
 dicam, ô magna Virgo! mare chari-  
 tatis es, sed & Passionis. Quorum  
 omnium ratio est : quia Passio Filij,  
 communis censeri potest & Matri, ob

singularem sympathiam, quæ juxta S. August. inter utrumque intercedit, similem duabus fidibus unisonis in eodem instrumento musico extensis: harum unam si tetigeris, fieri vix poterit, quin altera, quam non tangis, tactæ consonet. Nisi fortè libeat cum Virgine, sanctam Brigidam alloquente, coloribus magis vivis mutuum Filij & Matris dolorem adumbrare. Revel. lib. 1. cap. 35. Si quis alteram cordis medietatem intrà pectus, alteram extrà gereret, quantum exterior medietas pateretur, tantum quoque necessario sustineret interior. Pari ratione Beatissima Virgo, in se & in Filio duplici quodammodo vivens vitâ, intrà se sentiebat flagra, quæ Filio, illæso materno corpore, infligebantur. Latet hic profundissimum divinæ Providentiæ beneplacitum; cum enim neque cœlum Christo amicum, quod Ipsius tormenta pro hominum salute ardentè cupiebat; neque terrâ ingrata, quæ hæc flocci faciebat,

Ipsi compati posset, oportebat, ut una saltem creatura horum defectum suppleret, quæ vastissimum compassionis erga Christum mare, sinu sui peccatoris exciperet, quod esse simile mari passionis quam Christus subibat: *Velut mare.* Quod autem hoc Compassionis mare dicamus simile, at non æquale, id eâ de causâ accidit, quia ut divino illi sanguini, largissimè fuso æqualis esset Compassio, requirebatur luctus, divino luctu nequaquam inferior. In hoc autem dolorosissimo statu, ad pedem Crucis, Beatissima Virgo, velut inexplicabili tormentorum abyssu absorpta, qualis deinde in Apocalypsi visa fuit: *cruciabatur ut pateret.* Apoc. 12. Suique oblita, ardentissimis precibus à DEO efflagitabat Vitam novæ prolis, tam crudeliter Ipsam lancinantis, ut cogeretur dicere: *Addat mihi Dominus Filium alterum.* Gen. 30. & in salutem secundi Filij nascituri, sincerissimo affectu immolabat Filium suum primogenitum:

ani-

animam animæ suæ dedit: id quod maximū fuit, quod unquam bono nostro agere potuisset: *Dedit dilectā animam suam in animam inimicorum ejus.* Jeré. 12. atq; hæc sunt merita nostra, quibus *Beatissima Virginis*, in nos, amorē meremur, nempe dolores Ipsi, quorum nos causa extitimus. Ita amor, dum tener est, beneficijs alitur; dum adolevit, pœnis: instar magnæ flammæ, quæ vehementiori vento magis accenditur, cujus tamen flatu debilior extingueretur. Idcirco ex illo dolorum quos Christus in Cruce subivit, excessu, qui est principale motivum amoris *Beatissima Virginis* erga nos, facile conjici potest magnitudo amoris, quo nos complectitur. Sapienter, quisquis ille pronunciavit: *Amicos nasci rebus prosperis, sed adversis cognosci: in veritate: amicitia lydius lapis est tolerantia.* Quis non diceret hydrargyrum esse perfectissimū amicitia symbolum, nam ubique infectatur aurum, tam vehementi naturalis

amoris impetu, ut pennas assumere videatur, quarum subsidio aurum in aëre reperiat: est tamen amicus omninò infidelis; nam sequitur aurum non nisi ad ignem usque; hunc subodorans, amicum in calente cacabo deserit. Non sic *Beatissima Virgo*, quæ longè majora suæ charitatis, erga nos, dedit specimina. Vidimus illam, non solùm maximis tormentis non cedere, sed inter hæc amore magis inardescere. Unum superest, ut redamemus amantem. Nam si amor magnes amoris est, amor tam dura, tamque ardua tolerans, istar Magnetis ferro armati, non tantùm nos moveat, sed rapiat necesse est.

§. IV.

**Q**UÆ hucusque de charitate Virginis dicta sunt, in his non leviter ab ipsa rei veritate defleximus. Nam vera scaturigo amoris tam excessivi, nec in Ipsa Virgine, si scruteris attentius, nec in nobis reperitur. Quisquis eam reperire desiderat, in Ipso DEO quæ-

quærat. Hic ille est, qui vehementissimâ, infiniti amoris sui revibratione, in hujus innocentissimi cordis sanctuario ardentissimum veræ dilectionis ignem accendit. Pars Africæ, quâ Sol lineâ rectâ suos demittit radios, tanto æstu fervere dicitur, ut non tantum sylvas, sed ipsas arenas adurat. Magnos proinde amoris ignes conceperit cor Beatissimæ Virginis, quæ directis divini Solis radijs non modò exposita, sed & proxima fuit.


Ut hujus Illationis energiam, clarius perspiciamus, ex Divo Thoma observandum est; Charitatem DEI & proximi non esse duas virtutes inter se distinctas, sed unam eandemq; ita ut, si duos hos amores comparare famosis illis gemellis, qui eodem tempore nati, non tantùm, ut fieri assolet, vultu, indole, ingenio, complexione simillimi, verùm etiam iisdem pene tristitiæ & lætitiæ affectibus sibi conformes extiterunt; atque ita æqualem vitam æqualibus eventibus at-

temperârunt : cum his, inquam, si dictos amores conferrem, nondum aptam eorum comparationem reperissem. Nam duo isti, de quibus loquimur, amores, non sunt duo partus, quamvis sint gemelli, sed unus idemque partus. *Idem numero est habitus, ex quo uterque actus elicitur.* Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 1. Sicut radius directus & reflexus eadem lux est, etsi non tendant unâ eâdemque lineâ, procedunt tamen ab eodem principio. Hinc quantò amplius divinus amor in nobis crescit, tantò plus augetur amor proximi : uterque enim eodem & indivisibili præcepto jubetur. *Mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum.* Joan. 1. 4. eo modo quo Geometræ facilius conspiciunt duas lineas, eidem centro appropinquantes, quæ tamen non fiant sibi viciniore, quam nos visuri simus hoc amoris portentum : duo nimirum corda amando DEUM ipsi DEO appropinquare, nec



tamen amore mutuo inter se conjunctiora fieri. Hæc feria mente ponderet, quisquis nôsse desiderat, quàm chari *Beatissimæ Virginis*, sint Christi fideles: quod ut plenius perspiciat, exploret summum *Beatissimæ Virginis* ergà DEUM amorem. Si Cor hujus Virginis in cœlo Emphyreo est amoris divini fornax septuplo ardentius succensa, quàm corda omnium collectivè Sanctorum: dicendum erit, amorem omnium Sanctorum ergà genus humanum, in unum collectum, illis ardentissimæ charitatis ignibus comparatum, qui ex corde *Beatissimæ Virginis* spirant, nil nisi exiguam esse amoris faculam. Ad illustrandam hujus rei veritatem, pari porportione usus est sanctus Augustinus apud sanctum Bonaventuram in Spec. c. 5. dum ait: *Sicut omnibus Sanctis est potior, ita omnibus Sanctis est pro nobis Solicior.* Quantum *Beatissima Virgo* in amore erga DEUM excedit Sanctos, tantum eisdem suâ ergà nos sollicitudine

dine superat. Supremã imitata sphæram quæ quanta inferiores altitudine, tanta quoque velocitate, qua in bonum totius orbis circumagitur, eas antecellit. Certè haud scio, quí fiat, ut anima nostra præ gaudio è proprii pectoris angustijs non exiliat, dum *Beatissima Virgini Matri* nos tantoperè dilectos esse meminimus. Quod si pari difficultate, explicari haud potest, *ejus in nos benevolentia*, ut superiore capite evicimus, & *ardens illius erga nos charitas*, ut præsentem demonstratum est; ex quo tandem Porphyritide formatum erit cor illud, quod tantis à *Beatissima Virgine* præventum beneficijs submississimas gratias non referat? quod tenerrimè amatum, mutui quoque amoris vices non rependat? utinam nullum!



CAPUT VII.

Septimum Motivum De-  
votionis ergà Beatissimam  
Virginem.

QUIA

*Devotio erga Ipsam est signū  
Prædestinationis.*

§. I.

**L**ibido sciendi, quæ tandem post  
afflictos hujus vitæ casus, fors  
maneat hominem, facit, ut vel ex ip-  
sis cœli astris eam curiosè investige-  
mus, hoc est, Astrologorum volumi-  
nibus, quibus hæc, vel à DEO non est  
inscripta, vel certè eo caractere ex-  
pressa, ut facilè fallat mortales ocu-  
los. Unde longè consultius hæc cu-  
riositas id ageret, ut nōset eventum  
fortis illius imminentis in æternitate,  
aut miserâ aut beatâ. Profectò si tan-  
ti momenti negotium, prout mere-  
tur, nobis cordi foret, præ nimia soli-

citudine & cura omnes cordis affe-  
 ctus, imò omnes cogitationes nostræ  
 hærent attonitæ, ad eum modum,  
 quo mortis reus, ultimam jacturus  
 aleam, nulla re alia lætaretur, quàm  
 de spe felicitis jactûs, neq; de ullo ange-  
 retur, quàm de jactu infelici. Paris  
 cum reo si essemus conditionis,  
 ô! quàm clarè perspiceremus, quan-  
 to in pretio habenda sit sincera ergà  
*Beatissimam Virginem* Devotio, quæ  
 fidelibus est authenticum æternæ sa-  
 lutis obtinendæ inditium! ad proban-  
 dam hujus opinionis Veritatem satis  
 foret, auctoritas omnium Sanctorum  
 Ecclesiæ Doctorum eam asserentium:  
 Verùm ne sola auctoritate niti videa-  
 mur, prius fundi, ad quem appulimus,  
 securitatè bolide exploremus, quàm  
 tanti ponderis, quanti hæc est, ancho-  
 ram jaciamus.

§. II.

**Q**uis est, quin in dubium vocare  
 ausit, *Beatissimam Virginem* cer-  
 tissimum esse salutis Prognosticon,  
 cùm

cùm jam tum à nascente mundo id fuerit? In horribili illo diluvio, quo totum pene genus humanum profundissimè demersum fuit, primus consolationis radius Progenitoribus nostris, ut alibi dictum, Beatissima Virgo felicissimè illuxit. Hæc fuit Iris à DEO promissa in pignus futuræ serenitatis. Unde & dici potest, primum signum quod mundo obtigit salutem animarum, quæ jam reæ factæ erant æternæ mortis. Sed neque Adamum hæc veritas latuit: Imò intelligens inimicitias intercessuras inter hanc mulierem & serpentem, simul & agnovit efficaciam antidoti, quod utero suo, non tantùm in salutem ipsius Adæ; sed & omnium posterorum concludebat: adeòque verosimilimum est, Adamum tangentem præsentia, futura prospicientem, eo nomine quo vocavit conjugem suam, dum commisso peccato, eam dicit *Matrem viventium*, hanc alteram mulierem, longo licet intervallo remotam,

tam,

tam, Evâ multò æstimabiliorem, præsignare voluisse. Nam quo jure poterat appellare *Matrem viventium*, quos prius occiderat, quàm peperat. Dicit proinde potest; sicut Christus fuit à primordio mundi Salvator: *Agnus occisus ab origine mundi*: ita Beatissimam Virginem ab ipsis mundi incunabulis pariter signum salutis extitisse, quo post Solem Justitiæ nullum aliud, in ulla cœli spherâ visum fuit magis propitium. Nemo itaque miretur, si sub fortunatissimo hujus signi horoscopo deinceps visa fuit nasci Ecclesia, cui prius, quàm in monte Calvariæ è Christi latere nasceretur, in Matrem data fuit Beatissima Virgo.

Nec mysterio vacat, eum qui tantæ Matris possessionem primus adiit, fuisse discipulum inter cæteros magis Dilectum; ut innotescere Beatissimam Virginem inter fideles, omnibus Christo dilectis, nimirum Prædestinatis, semper fore felicitatis ho-

roscopum. Hinc non est explicatu facile, quanta sit illa vis, & efficacia, quam Viri sanctitate conspicui, semper influxui hujus signi tribuerunt. Sufficiet omnium nomine unius sancti Anselmi retulisse verba, quorum summa est energia: *Sicut impossibile est, quod illi, quibus Virgo Maria suos oculos avertit, salventur; ita necessarium est, ut hi, ad quos converterit suos oculos, pro eis advocans justificentur & glorificentur.* Tanti ponderis effatum, ne videatur nimium exaggerare rei veritatem, necesse est ut verbis Spiritus Sancti, quæ Mater Ecclesia *Beatissima Virgini* tribuit confirmentur: *Qui me oderunt, diligunt mortem. Prov. 8. v. 35. & è contra: Qui me invenerit, inveniet vitam. ibid.* Qui MARIAM fugit, in mortem incurrit, Privabitur enim influxibus illis vitalibus, qui per alium canalem, quàm per MARIAM ad nos haud derivantur. Et è contra qui MARIAM invenerit, inveniet vitam. Quamvis enim *Beatissima Vir-*

go non sit *Vita* sed *Christus* ; attamen invenire Beatissimam Virginem non videtur res diversa ab eo, quod est invenire Christum : tantæ enim efficacix sunt dotes, quas hic Sol illi signo communicavit. Gemmarij exultant si quando sapphyrum repererint, in ejus namque sinu carbunculum reperiunt, quem à natura indita lux, præ turba minorum gemmarum Regis instar coronat : pari ratione, hi, qui Beatissimæ Virgini devoti sunt, dum lætantur Virgine inventâ, simul exultant de ejus Filio cœlorum Rege reperto : *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Prov. 8. 35. Jam verò, quia agere de argumento tanti solatij, MARIÆ devotis est veluti dulcissimi barbiti tactus, quod tantò suaviorem sonum edit, quantò fides ejus profundius tanguntur, hinc æquum est, ut perspiciamus intimius causas particulares, ex quibus Beatissimæ Virgini jus competat in salutem nostram. Hæ causæ reducuntur ad duo capita, quo-



quorum alterum ex fine prædestinationis, alterum ex medijs desumitur.

§. III.

QUÒ ad finem; certum est, Electorum, quibus illa Beata fors obtigit, æternùm damnandis nunquam annumerandos esse; horum, inquam, nobilissimam in cœlis occupationem esse, Christo, primogenito Patris æterni Filio, ejus cœlesti aulæ adscripti sunt, toto mentis affectu deservire, ut Ipse inter Prædestinatos velut alter Phœbus in corona tot stellarum minorum maximè conspicuus appareat. *Quos præscivit, hos & prædestinatos conformes fieri imagini Filij sui. ut sit ipse Primogenitus in multis Fratribus.* Rom. 8. v. 29. è quibus, tanquam veris, rectè concludes: quemadmodum Beatus Ille Electorum exercitus in famulitium Christi segregatus fuit, ita pariter eundem, in ministerium Beatissimæ Virginis, tanquam Matris Magni Illius Primogeniti, eodem pror-

prorsus tempore delectum fuisse. Ipse enim, quod neminē latere arbitror, instar amantissimi Salomonis ad majorem Virginis gloriam duplici illam gradu, eóq; altissimo, *Matris & Sponsæ* dignatus est. Astitit Regina à dextris tuis. Psal. 44. Nec unquam à se qui inter tot sibi subditas stellas Sol est, hanc Lunam sejunctam esse voluit: sed talem cui necesse non sit à Sole remotiorem esse ut luceat, sed quæ summè vicina Soli, summè quoque fulgeat. Hinc est, quod virgines illæ, quibus, tanquam prudentibus obtigit ad nuptias Agni admissas esse, venerint in comitatum Sponsi simul & Sponsæ: *Exierunt obviam Sponso & Sponsæ*: & hoc caractere insignitæ, præ Virginibus fatuis, intromissæ sint; his, inquam ad præstanda servitia ejusmodi minus aptis, inde à sponso exclusis; ut omninò pateat fideles, prædestinatos ad æternam beatitudinem, admitti pro majore gloriâ Sponsi cœlestis; & ex consequenti  
 pro

pro gloriâ illius, quæ fuit Ipsi Mater:  
*Exierunt obviam Sponso & Sponsa.* At-  
que ita verum est, omnes Sanctos esse  
ordinatos ad summum, non modò  
Christi, sed & Beatissimæ Virginis  
honorem. Quod nemini mirum vi-  
deatur; De Principe Seraphim dixit  
Ezechiel c. 28. v. 13. *Omnis lapis pre-  
tiosus operimentum ejus,* & recenset  
novem gemmas, quæ, ex mente D.  
Gregorij, sunt novem Ordines, in  
quos Angeli divisi sunt; tanquam si  
inferiores in ornatum & gloriam su-  
periorum forinatti essent. Hoc si de  
Angelis, quanto potiori jure dici po-  
terit de Beatissimâ Virgine; non tan-  
tùm Angelicas phalanges, verùm to-  
tam Angelorum multitudinem, ad  
majorem Ipsius gloriæ & honoris  
amplitudinem, ad Imperij augmen-  
tum, ad angustiore Virgineæ aulæ  
magnificentiam, à supremo numine  
destinatam esse. Nam sicut Ipsa ex-  
titit causa nostræ salutis, ita quoque  
conveniens est, ut sit secundarius fi-  
nis

nis nostræ Prædestinationis. Cùm igitur omnes electi Beatissimæ Virgini comitatum præstent, manifestum est, nihil sic fore nobis conducibile ad summam illam gratiam, quæ est, aulicis Ipsius aliquando adscribi, quàm si in præsentivita Illius insignibus vestiamur, desiderijs obsecundemus, gratiam aucupemus, & ab omnibus etiam in terris, ejus Domestici esse dignoscamur. *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Psal. 44. Non enim fieri unquam consuevit, ut ad famulitium magnæ alicujus Reginae delectus aulicorum instituat, quin eorum ratio specialis habeatur, qui speciali modo Ipsi devoti ac familiares sunt. Nec sit, qui dicat, Beatissimam Virginem non potuisse ullo modo concurrere ad electionem sibi Devotorum ad gloriam, cùm in secreto Trium Divinarum Personarum consistorio, jam inde ab æterno, absque ullo Ipsius scitu, electi fuerint. Graviorum enim Authorum doctrina est:

Patrem prædestinasse omnes, quos Filius aliquando nominatim postulaturus erat, juxta amplissimam descriptionem illam Regij Psalmistæ: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Psal. 2. Ut hac ratione Christus ad majorè gloriam suam, non tantùm esset salutis humanæ Oeconomus, sed & Dominus: Dominus in cœlo, Dominus in terra; in cœlo destinando, & in terra exequendo salutem suorum. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ* Matth. 15. v. 3. Et si hæc verissima sunt, an non & verisimile est, à Patre postulasse è cæterorū numero, omnes illos, quos in scientiæ abyssu *Magnæ Matri Suae* Devotos cernebat, & in horū salutē merita sua speciatim obtulisse? §. IV.

**I**ndubitatum proinde est, Devotionem erga Beatissimam Virginem mirabiliter conducere ad finem Prædestinationis nostræ, adeoque plurimum conferre ad potentissimum illud medium, quo quis hunc finem conse-

sequitur. Quod ut facilius demon-  
 stre, oportebit quibusdam ambagi-  
 bus uti : cum in discursu, non secus  
 ac navigatione, rectissimus cursus non  
 sit semper compendiosissimus. In  
 Dicasterio cœlesti invenio legem con-  
 trariam legibus hujus mundi. Inter  
 homines lex vetat fœminam agere  
 Advocatam. L. fœm. ff. de reg. Juris.  
 L. 1. ff. de postulat. Quod existimo,  
 non eâ de causâ, quasi viris minus ap-  
 tæ sint ad evincendum causas suas;  
 sed quia fœminæ de omnibus trium-  
 phaturæ essent; potentissimè enim il-  
 lud suadetur, pro quo perorat fasci-  
 num oblectationis. Quod si hæc cau-  
 fidicas agerent, quid fieret si Helena  
 quædam compareret pro rostris di-  
 ctura ad hominis rei defensionem?  
 An rara illa species ac forma, quæ to-  
 ti Asiæ susdeque vertendæ sufficie-  
 bat, habitura esset difficultatem, ut  
 Judicis bilancem contrâ omnem  
 æquitatem in quamvis partem infle-  
 cteret? Summum sanè generis nostri  
 de-

dedecus est, in terrestri Paradiso, in primo foeminae cum viro congressu, illam huic persuasisse, ut, amore unius pomi, omnem suam felicitatem prodigeret. Sed quaecunque demum hujus ratio sit, quemadmodum haec hominum praëjudicia in coelesti tribunali metuenda non sunt, ita nec attendenda illorum prohibitio. Imò Advocata nostrarum causarum in caelo specialiter electa est Foemina: & ut Illius patrocinium majoris sit ponderis, singulari decreto placuit supremo numini, hanc Foeminam esse Judicis Matrem, & nostram apud Ipsum propitiatricem; ut, dum causae merita deficiunt, duo sublimes tituli, qui sunt *Amor Judicis erga Matrem, & Matris in Filium Judicem potens auctoritas*, defectum suppleant.

Hoc suo munere fungi coepit, quando DEI Mater facta est; quâ autem animi contentione, quo ardore, quis exprimat? Advertamus hic obsecro prima duo miracula, interveniente

Magnæ hujus Advocatæ patrociniò à Christo patrata fuisse; Unum, dispensando in Lege gratiæ, alterum derogando Legi naturæ. Si quis lumine fidei illustratus, spectasset Beatissimam Virginem Matrem insolitâ celeritate Judææ Montes percurrentem (*cum festinatione*) quis ei sensus! Ille utique: Hæc est aurora suum gremio claudens Solem, festino gressu Præcursoris menti præproperum allatnra diem. Et in Canæ Galilææ nuptiis, quamvis nondum venisset hora, quâ variis prodigiis, postmodum frequentissimè factis, doctrinæ suæ fidem astrueret, elementa immutans, ut corda mutaret: *Nondum venit hora mea*: hanc nihilominus, ut adesset, Beatissima Virgo impetrare potuit; dum hæc hora mundo fortunatissima, aliis virginearum precum subnixâ, citius venit, quàm solitis gradiendo passibus, ventura fuisset.

Quàm ingens in cœlo precum Beatissimæ Virginis sit efficacia, quis dignè



nè eloquatur? Quantum accessit meritis Magnæ hujus Advocatæ, tantum ponderis accrevit suffragiis Ipsius pro nobis interpellantis. Nam cùm divina providentia eum in finem elegerit preces nostras, ut essent decretorum DEI universales executrices; tantam potentiam eis tribuit, ut homo Libellum supplicem DEO porrigens, imperare DEO, & DEUS annuens porrecto Libello, obedire homini dicatur: *Obediente DEO voci hominis.* Josue 10. Et de quali homine hoc loco sermo? de *Josue*: homine, qui cùm adhuc in conditione servi viveret invocare DEUM poterat, imperare non poterat. Quod si illi termini, quos DEUS statuit precibus hominis justis, sunt eò usque protensi, ut dici possint imperium exæquare, quousque erunt protensi, quos Matris suæ precibus præfixit? in tantum utique protendentur, ut vox Advocatæ, cujus summa est auctoritas, toti Paradiso partici-

icipata quædam omnipotentia videatur.

Quod DEUS imperio, Tu prece Virgo potes;

Adeoque, quis Virgini se opponet, si vel ipse DEUS illi cedat? Archangelo Israëlis Custodi, qui reditum populi, in Persarum servitutem abacti, ardentissimis precibus à DEO efflagitabat, Archangelus Persiæ Custos resistit continuis viginti & uno diebus. Daniel. 10. donec de reditu populi in Palæstinam voluntas DEI, innotesceret. Verùm quis precibus à Virgine fuis, quasi voluntas DEI, dum rogat Advocata nostra, sit dubia, unquam resistere poterit? Ponamus hunc casum: Non unus aliquis è numero Angelorum, sed quotquot sunt Beati Spiritus, summi, infimi, quotquot Sancti, vel Sanctæ, quotquot supremæ Solymæ Cœlestes incolæ, junctis precibus damnationem meam flagitent, nihilominus, si vel sola Beatissima Virgo misericordiam peteret,

immunem me futurum confido. Suarez tom. secundo in 3. part. disc. 23. sect. 2. Tantus precum in meam damnationem conjurantium torrens, non sufficeret huic uni Mariano aggeri perfringendo. Nam si una omnes cœlites merito præcellit, æquum est, ut eosdem suffragiorum quoque efficaciam superet. Unde & Ipsa sola in subsidium nostrum moveri dicitur: Gyrum cœli circuivi sola. Eccl. 24. 8. Non quod sola moveatur, sed quod Ipsius motui cæteræ sphæræ minores ita se conforment, ut quamvis obsistere vellent, cursum tamen ejus ne quidem remorari, multò minùs sistere possent. Quid ergo hi, qui Beatissimæ Virgini sunt Devoti, quid obsecro timeant? Nil certè aliud; ne abutendo ejus clementiam, Marianam protectione se reddant indignos. Ipsam enim protegente salvi erunt.

Inferioris Germaniæ incolæ, quamvis vastum mare undas suas supra eorum casas elevet, securi tamen dormi-

unt; quia fidunt aggeri, qui concatenatis contrà procellosum hostem trabibus, pertinaci fluctuum insultui neque cedit, nec à repetitis assaultibus perfringitur. Hac tamen spe nonnunquam delusi sunt: Unde non ita pridem perruptis hisce propugnaculis, victoriosum mare in ipsum Hollandiæ emporium excurrit, ibique irreparabili damno à Mercatoribus, non in portu tantùm, sed in ipso quoque foro naufragium facientibus, prædas & spolia fecit. Longè securiores sub præsidio Beatissimæ Virginis sunt omnes Ipsi devoti. *Ego murus, ex quo facta sum coram ipso quasi pacem reprens. Cant. 8. v. 10. Ex quo Beatissima Virgo pacem, tot sæculis incassum quæsitam, reperit, facta est propugnaculum insuperabile, cui nullo unquam casu totius barathri confœderatæ vires sint prævalituræ.*

Faxit DEUS, ut ego sub hujus propugnaculi umbra lateam; crescant, licet, inimici mei in numerosissimum  
ex-

exercitum, obsideant me, irruant in me, non timebo. Gassenda, non minus sanguine, quàm pietate clara fœmina pro nepote suo Elzeario, eò usque anxia, ut pro suo in ipsum affectu continuis cœlum pulsaret precibus, tandem à DEO id responsi obtinuit: *Filia mea, scito me commendâsse curæ Matris meæ Elzearium: esto securâ.* Tanquam si dixisset; quid angeris? Virgo illa, quæ de cœlo in terram DEUM trahere potuit, è terra in cœlum hominem trahere non poterit? si contra DEUM fortis fuit, utique contra hominem magis prævalebit. Hæc est illa *Stella matutina*, quæ verum Solem in apricum horizontem excivit: in nostra commoda plurimum propensa: *Cito venit, serò recedit.* Hæc prima est, quæ ad cor peccatoris invisit, hæc ultima quæ recedit. Hæc Salvatorem nobis peperit, & auctarij loco ex se Ipsâ, Palmæ instar, scalam compaginat, quâ juvemur ut sublimem fructum, quem genuit, carpamus. O me

Beatum! si novero beneficam hanc palmam conscendere: *Ascendam in palmam*, & dubio procul carpam diu desideratum fructum, & *apprehendam fructum ejus*. Cantic. 7. 8. fructum nihil inferiorem vitâ æternâ. Hanc palmam in ipsam usque coronidem ingenti suo fructu ascendit sanctus Joannes Elzearius. Nam sub *Beatissimæ Virginis* præsidio virginitatem cum matrimonio copulavit: exemplo, quod vel in Angelis invidiam conciliare posset: qui esto feliciores sint, castiores non sunt homine, cujus in terrâ *MARIA* Protectrix est.

Ex his intellige, & vide quâ ratione *Beatissima Virgo* sit pars prædestinationis nostræ, primò tanquam Finis, deinde tanquam medium: Finis in ordine electionis, medium in ordine executionis. Sed & simul adverte, quàm sit rationi congruum, ut eam, tanquam signum ad salutem proficuum observemus. Fuit nonnemo illius  
opini-

opinionis, Lunam primariò factam esse in societatem Solis, ita ut Sole plena, sit instar alterius Solis minoris, in cœlo illuminans, in terrâ influens. Eandem ob causam idem Philosophus asserit: Quod Luna propter societatem Solis, receptumque Lucis, sit quasi alter Sol minor, quam ob rem conducit ad omnes generationes, perfectionesque. At longè promptiùs his adstipularet, si ingenij sui perspicaciam transferre nossent ad Lunam sublimiorem; cui, ut instar scabelli seruiat, maximum illius est encomium. Indubitata veritas est, hanc primariò conditam fuisse, ut esset increati Solis, in quovis statu, socia, tam in via quàm in patriâ: donec & Ipsa Sole plena, nunquam tamen pro se solâ, sed *Plena sibi atque aliis*, Sol quidam minor cuiusvis consideranti appareat: Sol qui cum divina misericordia concurrat ad regenerationem Peccatorum, & omnium Justorum perfectionem. Sol denique, de quo sub iudice lis maneat,

an Luce, quâ dives est, & influētijis suis  
empyreō coelo magis ad ornatum, an  
mundo ad præsidium plus seruiat.

## §. V.

**U**Num huic discursui opponi posset:  
tantum Jurisdictioni Christi adi-  
mi quantum Matri accrescit: at hic si-  
bilis est cujusdam è septentrione ser-  
pentis, qui ad insidiandum calcaneo  
Augustissimæ Dominae natus, æmu-  
lari videtur Draconem illum contra  
Ipsam in Apocalypsi insurgentem. Im-  
perium Romani populi tunc fuit ma-  
ximè Augustum, quando ei licuit ci-  
ves suos inaugurare in Reges: Impe-  
rium Christi vires suas & majestatem  
tunc potissimùm mundo demonstra-  
vit, quando Creaturam evexit ad po-  
tentiam æqualem illi, quæ Beatissi-  
mæ Virgini concessa est. Magneti  
nihil decedit, quod attactu suo vim  
attractivam ferro communicet, quin  
potius summæ virtutis argumentum  
est, hanc in tam sublimi gradu posside-  
re, ut eam absque jactura alteri com-  
muni-



municare possit. His præmissis colophonem subnectamus. *Gloriosa dicta sunt de Te Civitas DEI.* Panegyrem prolixam paucis hisce membranis complexus sum : Civitas supremi DEI. Prolixiorem continuent, qui Te contemplantur intimius, cognoscunt perfectius, & quod vix absque invidia dixerim, amant ardentius. Cæterùm neque exilis ac tenuis meus calamus, nec tot sublimes aliorum, quotquot mundo nascentur, Scriptorum calami unquam dimittendæ Tuæ Majestati satis apti erunt. Imò sicut mentium cacumina dici possunt pari intervallo distare à cœlo, quo vallium concava, ita sublimos Doctorum sensus æquè ac vulgi opiniones, dici possunt pari distantiam abesse à Te, quæ instar supremi cœli, in solius Domini habitaculum & gaudium condita es. *Cœlum cœli Domino.* Unde, quemadmodum inter Astronomos, inter quos de situ, motu, & admirabili sphærarum distantiam non satis conve-

nit; is aptius ratiocinatur, qui verosimilius de istorum apparentiâ, hoc est, de eo, quod in ipsis apparet, loquitur: ita nos, cum non possimus exactè determinare illum, quo DEO vicina es, situm, nec amoris Tui flagrantissimi motum, nec maximam, quæ inter Te & cæteras Creaturas puras intercedit, distantiam; credimus ad veritatem proximè accedere, qui de Tua Regia Majestate differens, verosimilius exponit sublimes illos honorum titulos, quibus *Maxima Ecclesia Protectrix, Reparatrix damnorum ab Eva illatorum, Redemptoris socia, Consors Redemptionis, & DEI excelsa Mater* nominaris.

His itaque Phœnomenis accurati-ori mentis oculo exploratis, tandem divinissimo huic cœlo, *Beatissima Virgini MARIE*, congruum systema, hoc est, congrua veritati conclusio statuatur, quâ & ego docear, an, quod scripsi, illam sublimitatem, quæ meritis *Magnæ Matris* tribuitur, vel, quæ ejus potentia adscribitur, efficaciam, excedat.

*Finis prima Partis.*

*PARS*

## PARS SECUNDA.

*Præces ad veram Devotionem consequendam manu-  
ducentes.*

**A**urum nullius pretij est, nisi ad Lydium lapidem se probet: Amor, qui inter animi affectus eundem locum obtinet, quem aurum inter metalla, nullius valoris erit, nisi ad lydium, quæ sunt opera, Amorem se esse demonstrat. *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Quo inditio verus ignis à picto rectius distinguetur, quàm actione seu operatione? Ignis, quem color exhibet, sua in tela quiescit, nec spatio, nec loco movetur; ne quidem aridæ, quam occupat tabulæ bellum dicit: at igni vero, nulla, nec momentanea quies, tam ingens agendi ardor, ut totum, si liceret, orbem succenderet. Pari ratione, vera devotio erga *Beatissimam Virginem*, non modò, non est ista, quam

sub initium hujus operis detestati sumus, veluti sacrilegam; sed nec illa, quæ tanquam sterilibus luxuriantes verborum, protestationum, oblationum pampinos solum profert: Hæc enim est voluntas placendi *Beatissimæ Virgini* languida & dormitans, & quæ prompta minime dici potest.

Qui reverâ Virgini Devotus est, agat & operetur. Imò necesse est, ut is quoque operetur, qui etsi Devotus non sit, saltem talis esse desiderat: nam huic sollicitè indaganda sunt omnia illa media, quæ tanquam viæ regiæ ad optimum hunc finem deseruiunt. Si rogetis quænam sint hæc media, ea ad quaternarium numerum contracta vobis suggeram; spe non exigua, fore, ut si ijs usi fueritis ad beatam illam Vitæ regionem, Paradisum salutis, & securitatis portum quem *Beatissimæ Virginis* protectio pollicetur, brevi temporis spatio perveniatis. Sunt autem hæc quatuor. Meditari de *Beatissima Virgine*, de eadem

eadem legere, invocare Illam, speciali quodam obsequio Ipsam venerari. Nec longa, nec ardua est Via: attamen magnanimitate opus est. Ordiamur à duobus primis, quæ, quasi inseparabilia, eodem capite expediemus.

## C A P U T I.

Proponitur primum & secundum medium consequendi Devotionem ergà Beatissimam Virginem: de ea meditari & legere.

### §. I.

**M***editatio* ex mente D. Thomæ; est primum lac nutriens Devotionem; quia voluntas nostra, uti constat omnibus, est potentia cæca, quæ nequicquam progreditur nisi Duce Intellectu. *Voluntas oritur ex intelligentiâ* ait S. Aug. l. 14. de Trin. c. 8. Intellectus autem habet aciem tam obtusam, ut multû simul capere nequeat,

queat, sed paulatim & successive. Et si quid exactè nosse velit, necesse est, ut imitetur excubitorem illum, quem DEUS misit, ut nocte exploraret currus, qui Babylonem tendebant, eosque studiosè observaret. *Contemplatus est*, ait Isaias cap. 21. 7. *diligenter, multo intuitu.* hic nimirum meditantis est fructus. Veritas, quæ propter ingenij nostri imperfectionem, primò apparebat in imagine, ipsi rei, quam repræsentat valde difformi; Video homines sicut arbores ambulantes. Paulatim; si attentâ mentis acie consideretur, apparet nobis in imagine propriâ & imprimis accommodâ nostro affectui rapiendo. Hinc est, quod ait sanctus Augustinus: *Intellectus cogitabundus initium est omnis boni.* Meditanti accidit quod Pictori formosam faciem pingenti; hic facillimè in ejus amorem rapietur, quia singulas ejus partes studiosè scrutatur, cum è contrâ obiter eam intuens minimè traheretur, quin etiam quandoque

doque despiceret, Cæterùm meditati-  
 o, de qua agimus, ut scopum attingat,  
 duas sibi materias præfigat: Prima erit: Matris DEI majestas, Præ-  
 rogativæ, Privilegia, Virtutes. Secun-  
 da: Amor Illius inexplicabilis quo  
 nos prosequitur, & quo ingentia be-  
 neficia, in nos ingratiſſimos quotidie  
 derivat. Ex hac duplici meditatione  
 sæpe sæpius repetitâ, excitabitur in  
 corde nostro perfectus ergâ Beatissi-  
 mam Virginem amor, cui neque de-  
 sit perfectio essentialis de quo supra,  
 neque accidentalis: adeòque orietur  
 in nobis, omnibus numeris absoluta  
 Devotio instar flammæ, quæ duplici  
 folle exagitur.

P. Suarez, Vir à sanctitate æquè ac  
 scientiâ nominatus, in solemnibus  
 Beatissimæ Virginis Festivitatibus du-  
 as horas exigebat, ea considerando,  
 quæ modò suggeram: satis gnarus  
 quod cogitare de illa *sensus est consum-  
 matus*. Sap. 6. 16. hoc enim studium  
 & DEO est gratissimum & nobis uti-  
 lissimum.

lissimum. DEO quidem gratissimum, dum videt nos eximias & singulares Beatissimæ Virginis dotes, meditando potius, quàm revelatione velle ediscere. Nobis verò utilissimum, ob insignem mercedem, quâ Beatissima Virgo, nos non minùs, quàm eximium illum suprâ laudatum Doctorem, qui salutarem sapientiæ suæ liquorem, hausit ab eodem fonte, ex quo Sancti, Albertus Magnus, Bernardus, Bernardinus eam biberunt, nempe ex Beatissima Virgine, quæ intellectum ejus obtusum & sterilem mirabili modo sic foecundavit, ut ex eo scientiarum rivi, totum pene orbem irrigantes prodirent. Modò sufficiat tanti Viri vestigia pedetentim legere, ejusque considerationes à me suggestas, quàm attentissimæ ruminare, Eæ apes sunt lectissimæ, quæ floribus inhærent pertinacissimè.

## §. II.

**L**Ac alterum, quo nutritur Devotio, est *sacra lectio*. Sicut rudi plebe-



beculæ, legendi ignaræ, librorum vicem subeunt sacræ imagines, ita incipientibus, meditandi ignaris, meditationi serviunt ij libri, qui de illa discurrunt. Hoc est, quod Sancta Theresia suadebat tyronibus suis ut subsidium accerserent, à lectione librorum spiritualium, ut alienis quodammodo mercibus suam paupertatem ditarent. Quod consilium non incipientibus modò, sed &, quotquot sunt, Proficientibus ac Perfectis utilissimum est, teste Apostolo Timotheo suo scribenti : *Attende lectioni.* Tim. 1. Illis tamen maximè necessarium est, qui propria inundantis animæ pluviam minimè irrigati, non nõrunt succurrere suæ spirituali siccitati, nisi ex alienâ cisterna aquam hauriant.

S. Augustin<sup>9</sup> famosissimo illo libro, quo intellectus sui maculas ingenuè detegens, toti mundo se Solem absq; nœvo purissimum esse ostendit; *Retract. lib. 2. cap. 26.* narrat quendam  
Cy-

Cypri Regem animo sagacissimum, sed vultu deformem metuentem ne Regina thori consors, formæ sibi similis prolem pareret, hac usum fuisse industriâ. Jussisse omnia conclavia & cubilia Regia, formosissimis imaginibus pictis ornari; eâ spe, fore, ut Regina assiduo formosarum facierum aspectu, imaginationi suæ, his vix dissimiles imprimeret, & prout sæpius accidisse eventus docuit, prolem potius illis imaginibus, quàm Patri similem eniteretur. Quid, obsecro, prohibet; nos quoque pari arte, & industria hac sancta uti? Non ignoro, sæpe vos queri: Phantasiam vestram adeò esse monstruosam, ut orantibus vobis, vel invitis, conceptus ingerat deformes rerum, si non obscœnarum, saltem terrenarum. Id meo consilio agite, ut in quovis conclavium vestrorum angulo ad manum sit liber, qui edoceat, quæ sint Beatissimæ Virginis merita, quæ dotes, quas possidet; thesauri, quos polli-

cetur; quæ nostra obligatio, quâ ei divincimur: hac animi ad Virginem, ejusque prærogativas adhibita applicatione, experientia discetis, partûs devotarum cogitationum, qui non nisi deformes prodire consueverant, è sinu cordis vestri prodituros.

Verum est, non quamvis librorum sacrorum lectionem esse æquè salutarem; nam ut legenti conducatur, cibum, quo sani vescuntur, imitetur necesse est: hic verò ut profit, Medici has conditiones requirunt: sumatur illa quantitate, cui digerendæ stomachus sit aptus. Seligantur libri, qui discurrunt de Beatissima Virgine, non obvii quivis, nam qui mole excellunt, substantiâ quandòque deficient. Legantur attentè, non cursim uti solent, qui vana curiositate ducti legunt; meminerint id tantùm hære, quod, quantum satis est commolitur. Legantur, quò ad fieri potest frequentissimè: nam pluvix æstate deciduæ, quæ solùm irrigant plantas,

tas, non inebriant, vix sufficiunt dando plantis robusto vigori. Interim fieri potest, ut vel una attenta lectio vobis aliquando immenso lucro sit futura. Nemo est, qui non miretur admirandos Columbi volatus, quando inter evidentissima viæ pericula ductus spe incertissima reperiendi neo Orbis, non dubitavit plus ultrà terminos à Romanis Aquilis olim fixos penetrare. Verùm quis adedò audaces Columbo suffecit animos? Platonis Timæus: ex quo hunc ipsum Philosophum de regione quadam Atlantide primùm continente, deinde ex insolito terræ motu in Insulam redacta discurrentem legerat. Nam inde illius regionis, quamvis remotæ, & incognitæ, ne dicam incertæ investigandæ desiderio arsit. Petr. Cirzat. 2. Rer. Indicar. Hæc India-rum Historiographi: Qui si verum referunt, necesse est fateri, quidquid metallorum, aromatum, cæ terrarum-que preciosarum mercium navali classe

classe Europam cum insigni ejusdem emolumento unquam advectum est, id unius libri lectioni deberi. Sed esto sapiat hoc quando hyperbolen, verissimum tamen est, illos, quos suadeo, libros, vobis monstraturos novum mundum, menti & sensibus incognitum; merces novas, recentes fodinas, è quibus veras delicias erueri liceat.

Novi plures qui frequenti lectioni cujusdam libelli, in honorem Beatissimæ Virginis scripti, vocationem Religiosam se debere profiteantur; quæ securissima quædam arrha est perveniendi ad fortunatam illam Regionem, multis quidem promissam, sed à paucis possidendam. Quod si præsens conditio non permittat, nos optatissimæ hujus felicitatis esse participes, id sanè spondeo, fore ut animo vestro, assidue & frequenter tali lectione occupato, paulatim Mariana desideria excrescant, quibus inflammati, Beatissimæ Virgini vos totos de-

voveatis, eam honoretis, glorificetis, sincere diligatis, ampliore cum fructu, quàm qui olim, ob singularẽ industriam Patriarchæ Jacob obtigit, è virgibus populeis, amygdalinis, & platanis decorticatis, in canalibus ubi effundebatur aqua, repositis. Gen. 30. Et quis ambigat, quin adhibitâ sedulâ rerum sacrarum lectione, opibus quoque vestris plurimùm accedat.

## CAPUT II.

Proponitur tertium medium consequendi Devotionem ergà Beatissimam Virginem.

*Frequenter eam invocare.*

**A**strologi, qui singulos hebdomadæ dies Planetis suis assignant, arbitrantur singulos, illo die quem suo nomine insigniunt, & quo dominantur, suam sublunaribus corporibus virtutem impertiri. Unde eorum nonnemo, veluti maximi momenti ar-

arcanum, suadet, ut stellæ per diem Dominatrici facies obvertatur, quò puriores ex illa, & magis propitios influxus, velut Ambrosiam Vitalem, Planeta Dominans, è sua sphærâ terræ infundit, excipiat. Ego mihi persuadeo hoc è cæteris esse maximè splendidum Astrologiæ mendacium; ideòque nos hanc, quam credimus fabulam, pedibus substernentes, prudentet eâ, veluti scalâ utamur, quâ ad utilissimam veritatem gradum faciamus. Stella, non uno vel altero die, sed omnibus & singulis cœlo Dominans, est *Beatissima Virgo MARIA*, ad quam oculos & mentem elevare oportet, ut ex sinu Ipsius illas Paradisi influentias sugamus, quæ lactantem exinde animam mirificè beant. *Beatus homo qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei.* Prov. 8. 34. Hoc erit tertium veram Devotionem erga Ipsam consequenti medium. *Ipsam frequenter invocare. In rebus dubiis, in angustiis, in periculis MA-*

*RAM cogita, invoca MARIAM; non recedat ab ore, non recedat à corde.* Ita suadet ille, cujus linguam Virginæ Matris lac suavissimè edulcoravit. S. Bern. Hom. 2. super Missus. Imò sicut pulsus arteriæ, evidentissimum est Vitæ indicium, ita & hæc frequens Beatissimæ Virginis memoria, non tantùm erit medium consequendi Devotionem ergà Beatissimam Virginem, sed ejus obtentæ erit argumentum. Idcirco non solo nostri amore ducti, Ipsa invocanda est, sed amore quodam sincero inflammati, quo devotis nostris precibus varios reverentiæ, congratulationis, laudis, complacentiæ, gratitudinis affectus, tantæ Dominiæ debitos immisceamus.

Munus, quod gero, Ductoris amanti-  
tium Beatissimam Virginem, me cogit, ut his, qui debiliores sunt, dextram meam porrigam. Accipite opportunam methodum singulis hebdomadæ diebus Beatissimam Virginem



nem invocandi, diversis illius encomiis inscriptam quin & patentem campum vobis exhibeo, in quo largissimè dilatetis cor vestrum, per frequentem & quotidianam horum actuum innovationem ac repetitionem: formâ quidem succinctâ, sed nihilo minus amore succensâ.

*Invocemus eam*

**DOMINICA DIE,**

*Matrem.*

**O**Magna DEI Mater! quæ Maternæ dignitatis sublimitate omnia creata longè antecellis: quando coram Augustissimâ Tua Majestate me miserum contemplor, quomodo auserim Te appellare Matrem? Vix audeo: Attamen es mihi Mater: nam quæ DEI, eadem & mea Mater es, à JESU in Cruce moriente, cum omnia sua daret, mihi in Matrem relicta. O Virgo! ne quæso, ob miseras meas excludas me à possessione Maternæ protectionis, nam merita Dilecti Filij Tui,

supremæ voluntati ejus sociata, id evincunt. Appellabo Te Matrem, & me, quantumvis indignum, pro Filio Tuo agnitum iri confido. Eia, ergo, monstra Te illam, quæ mihi indubitatè es. *Monstra Te esse Matrem.* Et si hæ voces, à me prolatae, Tibi auditu sint graves, saltem audi illas ex Filio Tuo, Domino meo, qui inter acerbissimos dolores suos, sui oblitus Tibi me Filium consignavit suavibus hisce verbis. Ecce Filius Tuus Ecce Filium Tuum, O Magna Domina! Ecce me ad pedes Tuos prostratum. Ne indigneris tanti nominis honore me potiri; nam Primogenitus Ille Tuus, in paupere tugurio amore mei ex Te natus, mei causâ in officina lignaria à Te educatus, propter me in ligno Crucis, sub oculis Tuis, mortuus, hunc mihi honorem promeruit. Utinam aliquando eâ mentis demissione, & reverentia, qualem ego desidero, illum ab omnibus adorari, Teq; agnoscere Magnam Matrem cerneres! Interim

rim indulge hanc mihi gratiam, ut Vitam meam instituam, sicut decet Filium Tuum. Largire, ut dignitatem meam agnoscam, & debito, quo obstrictus sum, respondeâ; ut super omnia mala à peccato, quod solum Tuâ adoptione & amore me indignum reddit animitus abhorream. Amen.

## DIE LUNÆ,

*Reginam.*

**O** Regina Mundi! cui tanquam Filia, Matri, Sponsæ Altissimi, jus summum competit in omnes Creaturas, adeoque & in me. Ego mil- lenis nominibus Tuus sum. Sed, esto summo jure, quo omnium es: Domina, me Tuum esse sciam, hoc tamen mihi haud sufficit. Nomine magis speciali, voluntariâ Tui, in meam Reginam, electione, Tuus esse desidero. Ecce, ego ante thronum Tuæ Majestatis prostratus, eligo Te in Dominam meam: & hâc mei oblatione, intendo Dominium Tuum, quod habes in

omnes Creaturas, duplicare : Volo ,  
 ut ex hoc momento me possideas no-  
 vo quodam titulo : à Te dependere,  
 Te divinæ Providentiæ, circa me de-  
 cernentis, executricem esse volo. Di-  
 spone deinceps, O Domina ! Vitæ  
 meæ seriem ad Tuum beneplacitum :  
 adversa prosperis, prospera adversis,  
 ut Tibi placuerit, intexe. Quidquid  
 evenerit, si in suave fuerit minus tamé  
 acerbum erit, quia ex voluntate sum-  
 mē amabilis Dominæ mihi obveniet.  
 Unum sufficiet desiderio cordis mei,  
 si post fallaces horum temporum vi-  
 cissitudines, Te patrocicante beata  
 æternitas mihi obveniat, quâ Te cog-  
 noscam, Te deligam, Tibi de gloria  
 Tua gratuler, quâ DEUS Optimus in  
 sæcula nunquam finienda Te cœli  
 Terræque Reginam illustravit.

## DIE MARTIS,

### *Magistram.*

**O** Virgo Virginum ! Magistra puri-  
 tatis, quam nobilem in terris  
 Scho-

Scholam exemplo Tuo pandisti! Prima fuisti, quæ DEOSanctam Virginitatem Tuam voto consecrares: & quidem adeò illimitato, ut ejus servandæ gratia summo illi honori, qui DEI Maternitatem consequitur, & quo nunc gaudes renuntiare paratissimè decreveris, Video vestigia Tua prementem innumerabilium Virginum chorum, quæ Tuo informatæ exemplo, in carne, veluti sine carne vivunt, & vel ipsos Angelos ad piam aliquam invidiam provocant. Sed quid ego miser, qui hæc video! quid faciam! non ausum tam sanctæ Scholæ limina subire, ne illam inquinem. Saltem liceat mihi ad fores illius Libellum supplicem porrigere in hæc verba: Sordidus è cœno peccator, ad pedes Purissimæ Matris provolutus, summa, qua potest, demissione rogat, & supplicat, ut sibi lachrimas, maculis vitæ præteritæ eluendis pares, impetres: ut gratiam obtineas, qua roboratus, mori potius, quàm

foedari eligat. Neque repulsam hic à Te metuo : preces enim istæ vel maximè arrident genio Tuo, Esto, me non amares, attamen illam, quam rogo, puritatem, & cujus Tu Magistra extitisti, non amare, nec protegere haud quamquam posses. Oculos proinde Tuos in me afflictum peccatorem converte : nec unquam averte, donec ab eo mutatus, qui modo sum, concedas mihi gratiam imitandi Te in hac vita, & Tecum exultandi in gloria : in qua si mihi non liceat cantare canticum solis Virginibus cantandum, cujus Tu per infinita sæcula eris præcentrix, saltem audire liceat, Amen.

## DIE MERCURIJ.

### *Advocatam.*

**O** Mater Sancti Amoris! O Vita!  
 O Dulcedo! O Spes nostra! ita-  
 ne non sufficiebat JESU meo, meum  
 apud Patrem cœlestem fieri Advocatum,  
 nisi & Te in tribunali suo meam  
 fa-

faceret Advocatam? Agnosco, quan-  
 ti meam salutem fecerit, quam tot  
 medijs procurasse non contentus, in-  
 super ad hanc obtinendam suis meri-  
 tis Tuas preces jungere voluit, &  
 illas quidem preces, quibus tantum  
 potentia tribuit, ut vim legis obtine-  
 ant. Et ego quid ad hæc omnia? Ec-  
 ce, ad explendam Domini mei cle-  
 mentissimam intentionem, Tuis pe-  
 dibus, veluti ad aram refugij, advol-  
 vor; illic me, quamvis omnium crea-  
 turarum indignissimam, humillimè  
 prosterno, cum plenâ cordis mei pro-  
 testatione, me omnino confidere in  
 Præsidium Tuum, fiducia, & spe tam  
 firmâ, ut si mea salus ex me ipso pen-  
 deret, hanc clementia Tuæ penitus  
 committerem. Plus namque Tibi,  
 quam mihi metipsi fido. Non diffi-  
 teor me influxum illarum gratiarum,  
 quas assiduis Tuis precibus è cælo  
 mihi postulas, & obtines, impedire.  
 Interim hæc mihi spes est, fore ut im-  
 pedimenta, quæ ego gratia Tuæ ob-

jicio, Tu Tua benignitate removeas, mihique vitam sanctam impetres, quâ precibus Tuis secundem, nec eas peccatis meis interturbem. Non constat ullum causâ cecidisse, pro quo Tu efficaciter perorâsti: Meam autem fore primam haud metuo. Totus mundus obliviscatur mei, modò Tu, O amabilissima *Advocata mea*, memor mei fueris. Obsecro respice me, & si fieri potest. ut non moveantur Viscera misericordiæ Tuæ, sim desertus à Te. Dic DEO, quod Tuus sim; & si hoc non sufficit, ut salver, mortis sententia Te *Advocata mea*, audiente & permittente, feratur in me. Hæc spes me firmat & roborat, hac fretus vivam & moriar. *Unica Spes mea JESUS & post JESUM Virgo MARIA.*

## DIE JOVIS.

### *Benefactricem.*

**J**ustissima ingrati pœna est, ut collato in se beneficio privetur. Ecce, ego



ego ingratiſſimus tot beneficijs, quibus me cumulasti. Omninò dignus forem, O Magna DEI Mater! ut oculos Tuos misericordia plenos, quibus misérias meas tot repetitis vicibus clementer respexisti, à me averteres. Verùm adverte, quàm sublimem de Tua bonitate opinionem & sensum conceperim. Planè confido & spero futurum ut à summa mea malitia, Tua bonitas non vincatur, sed ut hunc Tibi honorem indulgeas non operandi secundùm exigentiam demeritorum meorum, sed pro Materni cordis Tui piſſima propensione. Neque pia hæc spes unquam me fallat. Eja Mater amoris, Thesauraria divinæ gratiæ, Refugium Peccatorum, ne à gratia Tua excludas me. Tibi sisto me Creaturarum omnium miserimum. Audi voces Te invocantis, afflicto pande sinum misericordiæ, dexteram porrige lapso, qui, ut resurgat, Te implorat: Reminiscere Te Matrem esse Salvatoris, adeòque &

Matrem salutis meæ : & quæ mihi deficiunt nomina, quibus movearis ad succurrendum, ea abunde Tibi suppetunt, ut subvenias. Interim sanctè polliceor, si Tuo patrocinio salver, nunquam me amplius commissurum, ut Tibi sim ingratus; sed perenni laude compensabo hucusque admissam ingratitude; & cum Sanctis omnibus misericordias, à DEO per Te, tam largè in me erogatas, in æternum cantabo, Amen.

## DIE VENERIS.

### *Liberatricem.*

Quid me fieret, O Augustissima Domina mea! nisi tam magna foret clementia tua? quomodo supportare posset intemperiem cordis mei, quod neque bona, quibus me affecisti, neque mala, à quibus liberasti me emolliunt. Quoties in ipso inferni litore ruinæ proximus steti. O Regina misericordiæ! cum anhelis Dæmones,

nes, jam jam lapsuram animam, expansis brachijs in tartari barathro expectarent; cum propriæ culpæ in præcipitium me impellerent, cum divina Justitia decretoriam sententiam in me pronuntiatura, meumque interitum permissura esset; Tu non rogata præsentissimam ruinam mihi imminentem benignissimè avertisti. Tu Patri monstrans Filij Tui vulnera, & Filio ubera Tua, salutis meæ, de qua pene conclamatum erat, protectrix, & causa extitisti. Si vel brevissimo temporis spatio suppetias distulisses, quæ lamentabilis fors miserum me in igne premeret! heu forè æternum miser! & hæc non sufficiant emolendo pectori meo? Non poterunt persuadere, ut honori clementissimæ liberatricis meæ superstites Vitæ meæ consecrem? Reverà poterunt. Jam victus à Clementia Tua, Tibi Domitrici effrænis cordis mei gloriosam Victoriæ patriam cedo. Unū superest quod rogem, ut deinceps sis perpetua Libe-

ratrix mea. Libera me ab horrènda tartari abyſſo, à graviffimo peccati jugo. Libera me à memetipſo, qui mihi quovis Dœmonio ſæpe pejor ſum: Libera me, ne ingratus vivam Optimo DEO, qui toties, Te interpellante, ab omni malo miſericorditer me liberat.

## DIE SABBATTI.

### *Conſolatricem.*

QUàm apte, O Mater Miſericordiæ, gradus Tui ſublinitas, & Cordis Tui benignitas inter ſe conveniunt? Si ſublinitatem Throni, ad quem aſcendiſti, oculis mentis meæ contemplor, animus tremit, vacillat cogitatio. Tu omnes puras Creaturas longiffimè excedis. Tu ſolo DEO inferior; Dexteræ DEI opus abſolutiſſimum, Tu Te ſolâ in cœleſti Curia Hierarchiam abſolviſ; & ob arctum conſanguinitatis vinculum, quo Chriſto jungeris, in gradum quodam  
me.

modo divinum transcendis. In hoc nihilominus culmine tam eximiæ Majestatis collocata, non tantum miserorum non oblivisceris, sed idcirco grata est Tibi potentia Tua, quia per eam nostram sublevas inopiam. Cœterorum amicorum numerus tantum decrescit, quantum crescit calamitas; è contrà hac crescente Tua augetur benignitas: implorata subvenis: imò non rarò subsidio Tuo orationes nostras prævenis; & nondum invocata, tempestates sedas; factòque naufragio, nobis gementibus portum aperis. Benedicta mille millies supremi numinis dextera, quæ Te potenté simul & clementé fecit; & in Te teneritudiné materni cordis cum Majestate Augustissimæ Reginae feliciter copulavit. Utere illâ quæ Te decet, Majestate, quæ me non minori gaudio afficit, quàm si foret mea. Ne ullus gloriæ Tuæ, quæ te circumdat, illustris radius desideretur, mille, si haberem, vitas, huic comparando amo-

re Tui prodigere, non dubitarem. Quæ inter sublimes gloriæ Tuæ titulos, non dedignaris dici *Consolatrice mea*. Age, in omnibus, quæ me premunt, ærumnis; animosingere, & quidem in maximis maximos: hoc est, in supremo agone meo. Sit pars gloriæ Tuæ, quod in meam, præ cæteris, maximam miseriam, Tuæ misericordiæ in primis proportionatam, & à Te benignissimè sublevandam incideris, Amen.

### C A P U T III.

Proponitur Quartum medium consequendi Devotionem ergà Beatissimam Virginem.

*Obsequia singularia ei  
deferre.*

Ultimum denique medium, quod suggero, consequendi Devotionem ergà Beatissimam Virginem, est: *Obsequia singularia ei deferre*: id quod

quod Devotioni adeò proprium est, ut à quibusdam Doctoribus definiatur: *Amor obsequiorum.* Alvar. 3. p. l. I. Voluntas fervens deferendi obsequia. Quæ cum summè sint necessaria, visum est mihi non fore ab re, si eorum duodecim vobis suggeram, omninò sufficientia ad magnificam coronam Reginae Cœlorum concinendam: Coronam adeò gratam, quàm est illa, stellarum duodecim. Et ut ad horum exercitium magis magisque vos exstimulem, ea, quæ dicturus sum Virorũ illustrium exemplis, & singulari hinc reportato fructu confirmabo: cum illis solùm scribam, qui è numero Amantium Beatissimam Virginem, rudiores nesciunt excogitare industrias, quas in arte consummati. His satis sit alieno robore suam fulcire imbecillitatem.



## Primum Obsequium.

*Beatissimam Virginem-eli-  
gere in MATREM.*

**P**Rimum obsequium quod præsta-  
bitur *Magnæ DEI Matri*, erit, ut  
& Tu similiter eligas eam tibi Ma-  
trem. Æquum est, ut huic primus lo-  
cus deferatur, cùm non solum à Chri-  
sto, è cathedra Crucis docente, ita  
docti simus. Sed ut ipsum cordibus  
imprimeret altius, voluit hunc esse ul-  
timum suæ voluntatis Epilogum: *Ec-  
ce Mater tua*; quasi extremum mo-  
rientis solatium, quod Matrem hæ-  
redem illius, quo nos prosequebatur;  
& nos illius quo Matrem prosequeba-  
tur, amoris hæredes institueret. Qua-  
re è re tua erit, in aliquo Beatissimæ  
Virginis festo die, præmissâ novem-  
diali quadam devotione, hanc à te  
electionem fieri, eamque anno recur-  
rente renovare, cum humillimâ er-  
ratorum deprecatione, ac sincerâ pol-  
lici-



licitatione, te defectus anni præteriti  
 nova sedulitate & fidelitate suppletu-  
 rum: in eorum locum interim offe-  
 rendo singularem dilecti Filij ejus  
 obedientiam, quando *in terris visus,*  
*erat subditus illi.* Quam praxim divi-  
 nissimo ore suo Christus Dilectam  
 Gertrudem suam docuit l. 5. c. 33. in  
 fine. Adhæc mane & vespere, per to-  
 tius anni decursum, pro more obse-  
 quentis Filij, maternam ab ea benedi-  
 ctionem postulare: quod assueverat

**S.** Stanislaus in hoc obsequio appri-  
 mē singularis. Horum formulam sug-  
 gerunt verba S. Martyris Ignatij:

*Mater vera Salvatoris, Mater adoptata  
 Peccatoris,  
 In gremio Maternæ Pietatis Tuæ claudere  
 me.*

Secundum Obsequium.

*Beatissimam Virginem re-  
 vereri in ejus imaginibus.*

**D**æmon, post everfam, & abolitam  
 Idololatriam, nihil reparandæ  
 Huic

huic jacturæ consultius duxit, quam  
sacris Christi præsertim, & Beatissimæ  
Virginis imaginibus bellum dicere.  
In has, velut sublatis è lustro catulis  
Tygrydes suam rabiem exercuerunt,  
in has Hæretici suas linguas exacue-  
runt: has Hæresiarchæ scriptis pro-  
sciderunt: has quinque potentissimi  
Cæsares impugnârunt: ita nimirum  
Dæmon sæviit, sed in majorem sui  
perniciem: nam quò ferocius ipse eas  
persequitur, eo ardentius, hi Illas co-  
lent, quibus in amore & honore est  
Beatissima Virgo. Sancta Hedwigis  
Poloniæ Dux, imagine Beatissimæ  
Virginis, quam annulo sui digiti in-  
clusam gestabat, tam arcto affectu  
complectebatur, ut ne quidem post  
mortem è digito cadaveris eximi po-  
tuerit. Ludovicus Pius è collo suspen-  
sam gerebat Beatissimæ Virginis ima-  
ginem, in prælijs scutum, in venatio-  
nibus oblectamentum: hoc ei solen-  
ne ut ab Aulicis feram insectantibus,  
indensas usque sylvas se subduceret,  
&

& adgeniculans, non ipse prædam cadere, sed huic cordium Venatrici in prædam perpetuam se mancipare gestiret. Proderit, exemplo multum dilectæ Beatissimæ Virgini D. Brunonis familiæ, imaginem Ipsius ad januam cubilis appensam, dum exis, aut redis, suavi oculorum & mentis aspectu prosequi, ejus pedes exosculari, Devotum Ipsi servum, quin & mancipium se contestari.

### Tertium Obsequium.

*Ecclesias Beatissimæ Virgini dicatas devotè invisere.*

QUAMVIS oporteat revereri Dominum in omni loco Dominationis ejus; attamen præcipuè colendus est in Ecclesijs, in quibus continuò suæ præsentia singularia inditia præbet: pari ratione; quamvis Beat. Virg. in privatis imaginibus honoranda sit, æquum tamen est, ut in imaginibus publico cultui expositis, quibus intra  
la-

sacras ædes, ad favores suos, pene prodigiosos, fidelibus impertiendos venerabilior prostat, majori in honore habeatur. Ad hujusmodi sacra templa, Peccatoribus instar Civitatum refugij, certa asyla, ipsi, si remotiora sunt, peregrinationes instituunt, si viciniora, ad ea quotidie invisant. S. Henricus Imperator, huic Orbi natus, ut doceret, eodem Imperiali solio Majestatem simul, & pietatem considerare posse, ingrediens Urbem qualemcunque, primos quosq; gressus ad Basilicam, si quæ erat, B. Virgini sacram, facere consueverat. Thomas Sanchez, magni nominis scriptor, lege, quodammodo inviolabili, apud se statuerat, nunquam domo egredi, quin Ecclesiam aliquam B. Virgini dicatam inviseret. Quod si alicui conditio domo exire status non permetteret, hic impotentiam suam supplet exemplo B. Stanislai, qui è cubili suo, facie ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis versa, flexo poplite, optimæ

voluntatis desiderio, veluti per volatiles devotionis alas Magnæ Matri obsequia sua trans mittebat, quæ corporeis passibus deferre non poterat.

## Quartum Obsequium.

*Officium sive Rosarium Beatissimæ Virginis quoti die recitare.*

**I**Nclytæ Religiones Patrum Carthusianorum & Dominicanorum, sunt beneficentiæ Beatissimæ Virginis Vivum trophæum; sunt quoque & hæc, & illa præclaræ Magistræ, quæ modum eam venerandi edoceant. Illa Carthusianorum pene deficiebat ob defectum Candidatorum, tantæ austeritatis institutum ambientium. Nulum videbatur aptius reflorescendæ medium, quàm se Beatissimæ Virgini consecrare publico voto quotidie recitandi ejusdem sacrum Officium. Hoc ubi factum, primævus, qui defecerat, vigor, eò usque revixit, ut jam lapsis ab hinc quingentis annis, legis illius

in-

inviolatæ perseverent, non absque invidia temporis: quod cum fortia quæque, paulatim consumat, eos nihilominus, qui se Beatissimæ Virginis tutelæ committunt, absumere nequeat.

Alterâ Patrum Dominicanorum Religiosa familia afflictissimis temporibus huic Orbi nata: universam Europam Vitæ licentia, & hæresum pravitate, in horridam quandam sylvam foedè transformatam, non aliâ arte, aut industriâ in Paradisum deliciarum commutavit, quàm incultis horum mentibus Rosarij Devotionem inferendo. Cum S. Dominicus, uti scribunt ipsorum Annales, vehementer afflictus ob paucitatem messis, labori, quem in Tolosana Diacœsi impendebat, minimè respondentis; ad Aram Beatissimæ Virginis Protectricis suæ, de eò humillimè quereretur, hoc ab ea responsum accepit: *Agrum colis, qui sterilis erit, donèc pluviam irrigabitur: ex quo intellexit hanc pluviam esse Devotionem Sanctissimi Rosarij, unâ cum*

cum meditatione myſteriorum illo  
comprehenſorum.

Arbitror; eum qui Beatiffimæ Vir-  
gini Devotus eſt ad frequentanda hæc  
Marianæ pietatis obſequia, alia moti-  
va haud deſiderare, quàm hæc ipſa, in  
quibus Duces habet duas Sanctiſ-  
ſimas Religiones, & ſocium Univer-  
ſum Orbem Catholicum.

## Quintum Obſequium

*Novendialem Præparatio-  
nem Solemnitatibus Beatiffimæ Vir-  
ginis præmittere.*

**N**utrix, quæ mamillas lactè plenas  
gerit, nil impenſius deſiderat,  
quàm ut in os dilecti ſibi infantis eas  
exoneret. Idem B. Virgo, quavis  
nutrice tenerior Mater, clientibus ſuis  
præſtat, inceſſanter ad Cor Devoti ſi-  
bi famuli ingeminat: *Dilata oſ tuum, &  
implebo illud.* Omnibus proinde Cul-  
toribus Virginis auctor ſum, ut no-  
vem diebus ante ſolenniores B. Vir-  
ginis

ginis Festivitates, se disponant ad excipiendum avidissimè ejus gratias & beneficia. Illam quotidie novies invocate; ad vices singulas unum è novem Choris implorate, qui supplices preces Virgini deferat; cætera quoque jam ante proposita, Devotionem erga Beatissimam Virginem consequendi media usurpate. Insuper proderit intra hosce dies accepti & dati, hoc est, beneficiorum à Beatissima Virgine collatorum, & propriæ gratitudinis rationes subducere; ut saltem aliquâ, maximorum debitorum parte vos exsolvere allaboretis. S. Gertrudis Festo Assumptæ Beatissimæ Virginis vidit sub Regio ejus pallio chorum pulcherrimarum puellarum, quibus Angeli ministrabant, & Ipsa cœli Regina blandam & amabilem se exhibebat: simulque intellexit, hanc beatam phalangem esse animas illas, quæ præviis huic solennitati diebus, singulari aliquo pietatis exercitio ad eam devotè obeundam sese disposuerant,



rant, & in præmium hujus pietatis fore perpetuam Beatissimæ Virginis erga Ipsas benevolentiam & sollicitam Angelorum Custodiam.

## Sextum Obsequium.

*Sanctos B. Virgini vel sanguine junctos, vel apprimè devotos, speciali cultu prosequi.*

**A**micitiæ lex prima est Animarum & Voluntatis Concordia, quæ obligat ad volendum bene, non tantum ipsi amico, sed & jis, qui hujus amici sunt. Hæc eadem lex similiter obligat omnes B. Virgini Devotos, ut speciali cultu prosequantur illos sanctos, qui Dominæ nostræ præcæteris dilecti sunt. *Dulcissimus* ejus *Sponsus S. Joseph*: *Sancti Joachim & Anna* felicissimi ejus Progenitores; *Sanctus Joannes Evangelista* Primogenitus Filiorum Adoptivorum. *Sanctus Joannes Baptista* primus per eam sanctificatus. *Sanctus Bernardus* in sinu ejus

lactatus. *S. Hermanus* à Mariano sponsalitio exaltatus; Sanctus *Joannes Damascenus* Imaginum ejus Propugnator. Sanctus *Ildephonsus* fœcundæ Virginitatis Assertor. Omnes sacrarum Religionum Fundatores, qui suas Ipsi familias speciali nomine consecrârunt; alijque qui his accenseri possent. Horum Venerationem & cultum fore obsequium Beatissimæ Virgini omninò gratum, vel ex eo mihi persuadeo, quod Ipsa aliquando Illius se Magistram exhibuerit. Neapoli Anno 1648. cuidam è Mauris mancipio apparuit majestate tam suavi, ut subitò totum hominis, cæterum à vera fide alieni, affectum raperet: huic, dein converso, præcepit, ut sacro baptismatis fonte ablutus, in memoriam dilectissimi sui Sponsi *Josephi* nomine insigniretur. Chryf. in mundo Mar. p. 2. Alteri cuidam è Rhemenfibus Nobili Viro plurimùm commendavit pietatem in dilectam Matrem suam *S. Annam*, eundemque docuit for-

formulam, quâ eam salutaret: quæ antiquissimo inculpta marmorî, in Illustri illius civitatis Ecclesia legitur. Barry in Parad. Ita ut si unquam aliàs, vel hic certissimis simus, nos *Beatissimæ* Virginis bene placito obsecundare, dum illâ, quam *Ipsa* nos docuit viâ progredimur.

## Septimum Obsequium.

*Beatissimæ Virginis honori*

*Missas legendas curare, vel legendis ejus honori assistere.*

**C**Hristi, relinquentis Ecclesiæ suæ tremendum Altaris sacrificium, eâ principalis fuit intentio, ut ingrati- tudinem in Patrem cœlestem neces- sario à nobis committendam, ab ho- mine re removeret. Nam Patri, qui in Filio donum infiniti valoris nobis de- derat, quid huic dono proportiona- tum, nostra inopia rependere unquam potuisset, nisi filius misertus infirmi- tatis nostræ, se Ipsum Patri in hosti-

am Eucharisticam immolaret? Poterant quidem hierarchiæ Angelicæ corda sua, & linguas nobis commodare: *Verùm quid dignum esse poterat beneficiis ejus?* Tob. c. 12. Profectò, gratitudo tam arctis Angelicæ facundia circumsepta limitibus, dono immensi valoris haud quaquam respondebat necesse erat, ut donator Ipse se donum daret, si beneficio æqualem cuperet gratitudinem. Novus hic campus se se aperit honorandi Beatissimam Virginem: cujus enim conditio non fert, per se ipsum Missæ Sacrificium offerre, hic ab aliis idem sæpius offerri faciat, ex devotâ intentione SS. Trinitati gratias agendi, pro inscrutabili gratiarum thesauro, quo Magnam omnium creaturarum Primogenitam gratiosè ditavit. Nil dubita: gratum Virgini præstabitur obsequium: Omnes cœlites in unum collecti gratus ei donum haud offerrent. Cui non vacat curare Missæ Sacrificia, is quàm fieri potest frequen-

tis-

tissimè, assistat. Stephanus Portugal-  
liæ Rex, in obsequium Beatissimæ Vir-  
ginis binis Missæ Sacrificiis eâ ratione  
quotidie assistebat, ut unum audiret,  
& alteri ministraret: honorabile mi-  
nisterium reputans, quod & Ipsa in  
cœlo Seraphini honori sibi ducunt.  
Universo Orbi factus exemplar Ma-  
rianæ Devotionis. Quod si cuipiam  
in votis est, certa quædam formula  
prædictæ Oblationis, usui sit illa, quæ  
subjungitur.

O Sanctissimum Numen! Mare  
omnis boni, mare immensum & inex-  
haustum: Mare, quod dona sua in si-  
num Beatissimæ Virginis largissimè  
derivavit. Ego in profundissimam ni-  
hili mei abyssum me demergens, ead-  
em Tibi gratias refero pro hac in  
Beatissimam Virginem misericordiâ,  
quas referrem, si æquali mensura Te  
mihi misericordem exhibuisses. Ve-  
rùm quia gratiarum Actio, quam red-  
dit Creatura vilis & despicabilis, exi-  
gui coram Te est ponderis; Offero

in gratiarum Actionem infiniti valoris victimam, jam nunc in Altari immolendam; ex hujus divinissimo corde eam mihi gratitudinem usurpans, quæ sufficiat, ut pro debiti mei magnitudine Tibi me gratum exhibeam.

## Octavum Obsequium.

*Beatissimæ Virginis Festivitatibus præmittere jejunia, vel alia mortificationis opera.*

**I**Nfans, dum protensis brachiis Matrem rogat, ut se è terra in ulnas levet, non semper fit voti compos; at si precibus lachrymas jungat, semper, quod petit, impetrat. Pari ratione efficaces forent preces nostræ, si his, veluti cuidâ incenso misceretur myrrha voluntariæ afflictionis. Dubitari non potest, quin ad hanc pietatis mixturam, viscera Illius, quæ misericordiæ Mater est, commoverentur *S. Elisabetha* Portugalliæ Regina dictis prefestis *Beatissimæ Virginis*, tametsi tennello

nello foret corpore, modico pane & aquâ contenta vivebat, memor illius, quam Virgini debebat, servitutis, effecta suorum, hâc methodo, Votorum compos. Hæc si asperiora videantur; Saltem Illius Festivitatibus aliqua præmittatur abstinencia: ad exemplum Ipsiusmet Virginis, quæ hebdomatim una tantum vice lac sugebat, prout innuit Nicephorus lib. 1. tanquam si ab illa jam ætate Filio DEI, in Virginali alvo austerâ abstinentiâ suâ, cupediarum omnium Paradisum præpararet. Quæ de jejunio, hæc eadem ex modo loquendi viris sanctis usitato, sub nomine Jejuniij de quavis alia corporis mortificatione dicta esse volumus.

## Nonum obsequium.

*Beatissimæ Virginis honori  
elemosynas erogares*

**A** Mor Amore nutritur: nec unquam prædatur amor, quin ipse prius  
L s amo-

amoris præda fiat: Amoris defectum, primam agnosce causam, ob quam preces nostræ B. Virgini factæ, ut plurimum sint sine fructu. Nimirum præcepto Ecclesiastici haud obsequimur: *Non sit manus tua porrecta ad accipiendum & ad dandum collecta. c. 4. 36.* Alexander de Ales ævi sui celeberrimus Theologus, ne quidpiam quod in honorem Beatissimæ Virginis peteretur, recusaret, rogatu Simplicis laici, è Divi Francisci familia, ejusdem religionis, tametsi austeræ, habitum induit, ita non modò quod suum erat, verùm etiam se ipsum totum Beatissimæ Virgini donavit, in eorum confusionem; qui pauperi, nomine Beatissimæ Virginis eleëmofynam petenti vix obolum porrigunt.

Quod si forsan de illorum numero fueris, qui Evangelica consilia secuti; voluntaria paupertate regnum cœlorum sibi coëmerunt; auctor tibi sum eleëmofynæ longè feracioris: nimirum



rum omnia opera tua satisfactoria illis animabus applica, quæ in piaculibus flammis Beatissimæ Virgini imprimis dilectæ sunt: ingens hinc tibi lucrum accrescet. Certum est, litrum, illis animabus, veris Paradisi Principibus, redimendis erogatum, non exiguo futurum scœnori, si ad censum ei dederis, cujus divitiæ sunt, alios ditare. *Ego in altissimis habito, ut ditem diligentes me, & thesauros eorû repleam.* Prov. 8. 17.

### Decimum Obsequium.

*Beatissimæ Virginis sollemnitatibus sacrâ Communione refici.*

**U**Niversalis populorum mos obtinuit, ut dies festi solennibus epulis celebrentur: ac proinde non censetur esse à numero cultorum Beatissimæ Virginis, qui in ejusdem honorem non frequentat cœlestes illas epulas, quas immortalis agnus de pretioso Corpore & Sanguine in sacratissima Altaris Mensa animabus nostris

adornat. Mariani cultûs apex est honorare Matrem eo honore, qui Filio defertur. Profectò, ille honorem & obsequium haud defert Virginali huic horto, sine hominis culturâ fructum suum cœlitus progerminanti, qui eundem Virginis fructum velut insipidum nauseat. S. Carolus Borromæus hanc veritatem suorum Mediolanensium animis tam profundè impressit, ut ob numerum sacram Eucharistiam festis Beatissimæ Virginis accedentium, nihil hæc à diebus Paschalibus differre viderentur.

### Undecimum Osequium.

*Beatissimam Virginem imitari in virtutum exercitio*

**A**micitiæ non jungit dispares. Amor aut pares invenit, aut pares facit. Qui stabilem Beatiss. Virginis Amorem mereri volet, ejus virtutes imiteretur necesse est, ut eadè sit unio morum, quæ est animorum. *Filia si te mihi vis devincire, ama Filium meum JESUM.*

Ecce

Ecce authenticū B. Virginis testimonium S. Birgittæ sibi dilectæ cœlitus datum. Proinde præ reliquis jam supra narratis gratissimum Virgini erit obsequium, in honorem Ipsius frequentes earum virtutum actus exercere, quas Ipsa omnes in excellentissimo gradu adeptæ est. Margaretha Austriaca Maximiliani secundi Imperatoris Filia, agnovit omnibus margaritis, quibus fulgebat, multò pretiosorem esse Virginitatis Margaritam in Evangelio plurimum commendatam. Unde eam Beatissimæ Virginis dono dedit. Quòd eò usque Regina Virginum placuit, ut ex statua sua inclinando caput Margarethæ liberali donatrici gratias ageret: quæ deinde in admirationis extasi rapta, dum præ excessu gaudij & vehemente cordis æstu repetitis vicibus pectus intrepidè sauciaret, proprio sanguine scripsit authenticum in regna, divitias, & cum potentissimis Europæ Monarchis nuptias plenissimæ renuntiationis in-

strumentum, illudque Beatissimæ Virgini transcripsit; non minori fidelitate quàm antea fervore, austerum Discalceatorum in Hispania Monasterium ingressa: ubi sub religioso habitu multò ipsi nunc gloriosiore, quàm regia illa, cui renuntiaverat purpura, vitam feliciter finiit.

Quod si alicui non supererat animus aut facultas aggrediendi generalem hujusmodi & arduam sui, & rerum suarum abdicationem, is à levioribus ordiatur, discat à facilioribus paulatim ad difficilior, i gradum facere almitetur venatores qui ad viventis Ursi cavernam mortui alicujus exuvias suspendunt, ut hac ratione venaticos canes in vivos urfos irritent, eosque inter sylvas & nemora aggredi paulatim assuescant.

Duodecimū Obsequium.

*Amore Beatissimæ Virginis*

*ab aliquo opere vitioso abstinere.*

Jurisperitorum tritissimū est Proverbium: *Amicus meus inimicus ini-*

*mici mei.* Idcirco illa, quæ inter Beatissimam Virginem & peccatum, inimicitia intercedit, obligat ei Devotos ut monstrum hoc tartareum singulari prorsus odio prosequantur. Quod in Ordine Obsequiorum ultimum, in præsentis operis intentione primum sibi locum vendicat: nam licet cætera animum occupent, hoc uno deficiente sperandum non est, fore, ut vera devotio erga Beatissimam Virginem cor, animumque subeat. Philistæi multos olim honores Arcæ detulerunt; nam præterquam quod illum in templo sui idoli collocârint, per regionem propriam circumduxerint, multis eam donis undique decorârint; nullam tamen ab eâ benedictionem consecuti sunt, eò quod divino cultui jungerent cultum idoli sui: ut exinde sibi firmiter persuadeant, quicumq; Beatissimæ Virgini, velut arcæ DEI viventis devoti sunt, fieri non posse ut Virginis gratiam sibi concilient, si Mariano cultui junxerint

rint servitutem peccati: fieri autem id posse, si à peccato veluti deformi & infami idolo sese alienos ostenderit. Id quod è famosissimo quodam casu mox subjungendo luculentius patebit. Vir nobilis pro more Patriæ, virium suarum in equestri ludo experientiam facturus forte è via in domum cujusdam impiæ foeminæ divertens, cœco, quo Filiam deperibat, amore captus ingentē auri vim Matri offert, ut Filiam suæ indulgeret libidini. In hoc turpi mercatu, an avaritia, an luxuria præponderaverit, haud scio: interim puellâ innocente, prorsus ignarâ utrinque conducitur: at ubi advertit, se instar Columbæ inter rapaces ungues prostitutam, vociferatur, præ metu rigescit, horret, plangit; precatur, quin & minas adolescenti intonat, sed incassum omnia. Tandem è timore & metu facta audacior, & ex imminente periculo sagacior: hodie, inquit, sabbatum agimus, diem Beatissimæ Virgini sacrum: hujus mihi no-

men ex baptismali fonte obtigit, huic Virginitatem meam voto addixit: experiar, num tibi sit animus, turpi tua libidine, non uno te sacrilegio contaminare. Dixit: & mox procacitatem adolescentis stitit: qui fræno, quod luxuriæ nimium indulserat, paulisper contracto in hæc verba profariceepit: *Propitia sit mihi Beatissima Virgo MARIA,* Ecce amore illius, non modò te sinam intactam, sed & pecuniam pudicitiaæ tuæ, à me violandæ, destinata, tibi cedo illi asscurandæ. Hanc tibi consigno in dotem, ut voti, quo te obstrinxisti compos fias; nec tridui spatium è domo citius egressus, quàm puella religionem profiteretur. Tum conceptum iter ad equestres ludos profecutus, vix eisdem exorsus, fatales sibi, & omninò funestos, tristi experientia, didicisset, nisi Beatissima Virgo singulari sua ope illi succurisset: nam è fragmento dissiliens lanceæ lethaliter saucius, sine Confessione è vivis decessit; æternùm periturus, nisi ob

ob illustrem de se nuper reportatam victoriam ( prout Beatissima Virgo suæ cuidam famulæ revelavit ) mutuas ei vices rependisset, & in supremo vitæ momento contritionē adeò perfectam impetrâisset, quâ veluti altero Baptismo jam morti vicinus peccatorum suorum maculas elueret. Tali nimirum præmio Beatissima Virgo, suos contra peccatum Athletas remuneratur. Abjecti proinde est animi, qui nec Virginis, nec sui amore ductus, in bello, quod justissimè contra peccatum geritur, animo quàm promptissimo, in arenam haud quaquam descendit. Quis novit utrum à tali victoria animæ æterna salus non aliquando dependeat?



Ate ecce benevole Lector, qui Beatissimæ Virgini Te Devotum profite-  
ris, Ductor tuus hic vale tibi dicit. *Hæc est via, ambulate in ea.* Hanc viam magnis decurrite passibus, & ad desideratam Devotionis erga Beat. Virginē metam, brevi pertingetis. Vobiscum  
non



non morabor diutius; non, quod non gestiam tantæ suavitatis materiam tractare fusius, sed ut hac brevitate plurimum legentium palato serviam; instar Medici, qui in emolumentum ægroti multarum herbarum virtutem, in unum simplicem succum distillat. Gratum proinde & acceptum sit prolixum desiderium meum succinctis hisce foliolis, meliori, quo licuit modo omnes & singulos juvandi. *Tibi verò O Beatissima, semper immaculata Virgo* multò acceptius sit hoc obsequium clientis Tui, quem varijs multisque beneficijs gratiosissime cumulasti. Si gratiarum mare es, defluat in sinum Tuum imbecillis hic rivulus; & pari benignitate, quâ copiosa flumina in Tuas laudes copiosius excurrentia, hunc rivulum accipe. Libellus mole parvus est, sed in Jliadem excrevisset, si recensendæ fuissent Tuæ, in afflictum me peccatorem misericordiæ: quibus enarrandis, si sufficerem, famulis Tuis Liber conscriptus intus

& foris , & corpore & animâ mille gratiarum Tuarum notis signatus viderer. Cùm verò huic impar sim, superest, *O magna Domina!* ut cum dono simul & donanté acceptes: utrumque verò Tuæ, in terris , gloriæ promovendæ efficias instrumentum ; in se quidem perquam debile, sed quod Tuæ dexteræ subsidio , plus valeat, quàm maxilla contemptibilis jumentum in manu Samsonis : erunt arma fortia & victoriosa. Si me illis Christi fidelibus Ducem exhibui , qui suavissimam Tuam Protectionem desiderant, esto pariter ( ita ad Thronum Majestatis Tuæ, quàm demississimè supplex oro ) esto in brevi illa mortali, quæ mihi restat, peregrinatione *Dux mea* ; sed esto vel maximè in extremo vitæ meæ momento : ut interpellante Te, & protegente Te, *O unica spes mea post JESUM!* eò perveniam, ubi Te videam, Te adorem, Te fruam, Te per sæcula nunquam finem habitura glorificem, Amen.

*Finis secundæ Partis. Dia-*

Dialogus Ifagogicus  
 In I. Partem  
 SAPIENTIÆ  
 SANCTORUM  
 THEOPHILUS.

**G**ratia Tibi, & pax Christi adimpleatur, Amice mi Cœlestine. Cœlestinus. Pacem, quam optas, Vir venerande, non quidem possideo modò, eandem tamen ardentè desidero, & vel ideo tempore utcunq; incoñmodo te accedere propero. *Theophil.* Multò gratissima tam chari capitis mihi accidit præsentia. At ego te hodie præter morem adverto vultuosum: dic age, quid frontis serenitatem obnubilat? *Cœlestinus.* Fatebor ingenuè, non tot pelagus decumânis agitatur fluctibus; quot animus meus concutitur curis, & cogitationibus.

*Theo-*

*Theophil.* ediffere candidè, quid cordis pacem turbat? *Cœlest.* nuperrimè post vespertinam refectionem curiositate ductus, lectitabam opusculum *Artis semper gaudendi*, anno proximè elapso in lucem editum: exinde perpetuum animi gaudium avidius captabam; & ecce turbatio! legendo siquidem insertam Ascetæ digressionem de felici, & infelici æternitate supra modum turbatus sum, primosque illius versus tam firmiter phantasie impressi; ut non solum mihi vigilanti, ac feria, pro muneris mei ratione agenti, recurrat identidem quintà è meditatione æternitatis strophæ:

*Quid est, quid hæc æternitas?*

*Æterna pœna damni?*

*Quid est, quid est æternitas?*

*Æterna pœna sensus?*

Sed & in somno plus vice simplici & domesticis exclamare auditus sum:

*Quò me vocas æternitas,*

*Statera veritatis?*

*Quid me doces æternitas,*

*Magistra sanctitatis?*

*Theo.*

*Theophil.* Nempe ut audio, tibi evenit, quod *B. Casario Arelatensi*: qui noctu similiter vociferari sæpius notatus est; nihil æternaliter, est medium; aut in cælum ascenditur aut in infernum descenditur. macte animo, soluberrima est frequens hujusmodi æternitatis meditatio, an verò menti nunquam occurrit sententia à vate coronato, *Psal. 110. 10. ab Ecclesiaste purpurato, Prov. 1. v. 7. à sapientissimo Siracide,* ut ita dicam decantatissima: *Initium sapientia timor Domi. Eccl. 10. v. 16. Cælest.* *Anxietas & scrupulus me vexabat, atque horrendum in modum exedebat, & tantum non in desperationem agebat. Theophil.* Amice, timor hic erat nimius, & à verâ virtute alienus: nam *Prov. 28. v. 14. Beatus dicitur homo, qui semper est pavidus; qui vero mentis est dura, corruet in malum.* Quem locum *S. Gregorius & alij* de moderato ac constanti metu judicij accipiunt. *hom. 40. in Evangel.* ait *S. Gregorius.* *Sic præsentis vite agitata est lætitia; ut nunquam*  
ama-

*amaritudo sequentis iudicij recedat à memoriâ & talis timor sapientia principium appellatur. Cœlest. Facilius defini- vero, quæ apud politicos habeatur sapientia: de qua verò sapientiâ, Vir venerande, hic loquaris tu, non satis assequor, ediffere clarius: Theoph. ago de divinâ sacraç Ethica, quæ est habitus supernaturalis practicus, non tantum actus humanos iuxta profana & naturalis Ethicæ principia dirigens, sed per actiones supernaturales omnimodæ virtutis, homines ad ipsum Numen summum ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus diligendum perfectissime deducens: & hæc est ipsissima sapientiam sanctorum ac scientia salutis. Cœlestin. Mira ex te audio hodie; nunc longè alia sunt mentis meæ sensa; ad quietem plane, & ad cor redeo, eroque in omnibus meis actionibus ac motibus cautior. Theoph. hoc ipsum Spiritus S. dudum promiserat. Prov. 28. v. 14. Qui timet Dominum, convertetur ad cor. converti autem ad cor, phrasi hebræâ, est pium esse; ut  
 enima*

enim peccando relicto DEO qui habitat in corde *justi*, egreditur peccator è corde ad temporalia : ita in justitia vivendo , è temporalibus regreditur ad cor, ubi habitat DEUS. Moraliter ergo *converti ad cor, est* : ut quis internū animæ suæ statum, sensūque, & affectus omnes examinet, corrigat, & componat ad legem, & voluntatem DE I.

*Cælestinus.* Alto de pectore suspirans, tibi, venerande Amice, cum rubore profiteor, in salutis meæ curâ fuisse me nimis remissum. Causas status publici examinavi quam exactissimè; at conscientiam propriam rarissimè. Evenit, prô dolor! mihi, quod illi *Duci Burgundia à secretis*, qui, in *Ducis sui* negotijs volumina benè multa, & integros chartarum scapos scribendo absumpserat, pro animæ verò suæ æternâ salute, aut virtutibus acquirendis, ne pagellam unicam implerat : ejus epitaphium tale extat :  
*Hic situs est, qui, dum vixit, sic fuit à se-*

creto Burgundia Duci. ut, quid ipse vel in  
 vita sua egerit, vitâ egressus, nescierit. Ve-  
 rum, factum doleo, & fanioria dein-  
 ceptis consilia capto: cùmque ex ho-  
 dierna differtatione tantum lucis à te  
 hauserim: permittite obsecro; ut bi-  
 nis vicibus saltem ad horæ quadran-  
 tem unicum, indies de divinis tecum  
 loquar.

*Theophil.* id verò minimè foret con-  
 sultum; nam publicum hoc modo  
 negligeres; aliisque admirationem  
 cieres. Quin potius hunc capessis li-  
 bellum de *sapientia sacra initio, & impla-  
 cabili peccati odio*; adeoque sepositis  
 quibusvis statùs negotijs, *soli animæ  
 tuæ vacans*, quadrantis horæ spatium  
 lectiōni hujus impendito: & vel uni-  
 cum ¶ attentè lectum, meditando  
 volve, revolve, rumina; meque (*si ita  
 placeat, aut per negotia liceat*) post dies  
 aliquot intervise: tunc de selectis vir-  
 tutibus, sanctorumque exemplis fu-  
 gis conferemus. *Cælestin.* gratias ha-  
 beo pro dono & consilio: quod mo-  
 nes



nes, studiosè servabo; tu vero mei ad  
 aram memento. *Theophilus*, Vade in  
 pace, faxit *Increata & incarnata sapi-*  
*entia*, ut magnis incrementis *sapien-*  
*tiam sanctorum* acquiras. *Cælestinus*.  
 Amen. fiat.

## PARS PRIMA

*Sapientiae Sanctorum.**De Timore DEI.*

## CAP. I. Institutiones.

**D**E peccato, peccatore, & DEO  
 offenso, Candidato sapien-  
 tiæ SS. à Genio Tutelari, in  
 via purgativa propositæ.

*Scito, & vide, quia malum & amarum*  
*est reliquisse te Dñs DEUM tuum, & non*  
*esse timorem mei apud te, disit Dominus*  
*DEUS exercituum. Hierem. 2. v. 19.*  
*Per DEI timorem, O Tyro sapientia, ge-*  
*neratim accipitur omnis metus, & reve-*  
*rentia divina Majestatis, inclinans ani-*  
*imum ad hoc, ut per omnia illis obe-*  
*diat, & summè caveat, ne infinitam*

illius excellentiam ullo peccato offendat, etiam de offensis quibuscunque sincerè conteratur. Sic *pœnitens Salomon Prov. 3. v. 17.* hortatur : *Time DEUM, & recede à malo.* Quod locis innumeris confirmat *Siracides, Ecclesiast. 1. v. 2.* *Timor Domini expellit peccatum* ; tum præteritum ( ut asserit *Bernardus de diversis affectionibus animæ* ) per contritionem ; ad quam excitat *timor salutaris: tum præsens & futurum: cavet enim, ne tantum Numen offendat, quod acerrimè omne peccatum vindicat, ac judicat.* Hinc dilectæ *Candidate sapientiæ, ante omnia fuge voluptatem, germanam illam diabolicæ sobolis, peccati nempe mortalis, genitricem.* At in *Tyrocinio DEl timoris* addisces *fugere peccatum & voluptatem: quia*

*§. I. Voluptas peccati brevis.*

**A**Ureum in primis veniat in mentem aurei *Viri Chrysologi dictum: momentum est, quod delectat, æternum quod cruciat. Expende momentum; Expen-*

pende quid *æternum*. Illud tam breve, ut initio finis cohæreat, Vtriusque in unum punctum coniectis metis. Talis est *voluptas*, quam primùm amissam scias, quàm admissam: fulguris instar simul est in occasu, simul in ortu; moritur citò, consenescit nunquam. Sic sic olim gemebat omnium exemplo unus Jonathas. 1. Reg. 14. v. 13. *Gustans gustavi paululum mellis: & ecce morior*. Non sic poena, non sic, quæ nullis temporis circumscripta spatiis omnia superat durando, ipsi etiam DEO coæva.

*O momentum! O æternum! O praposteram mortalium optionem! Æternitati perbrevev anteferunt moram. Clamare deberent infelices hi: confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui.* Psal. 18. v. 20.

§. 2. *Voluptas turpis.*

**Q**uid? *omnis in luto est voluptas?* ut non tam brevitatem, quam foeditate deterreat. Inter homines desiisse te puta, ex quo ad mulorum, equorum-

rumve voluptates tanquam emissarius adhinnere conaris. Eò etiam turpior bestijs, quò illæ sine ratione, tu cum ratione insanias: Jilæ naturæ impetu, tu arbitrij consensu. O rem pudendam! quam oculis nemo humanis audeat committere, nemo Divinis possit subtrahere! O deplorandam! quam nemo emit unquam nisi sui jacturâ.

§ 3. *Voluptas fellea.*

**M**omentum dixeram voluptatis. Erravi. *Aceti plus habet, & felis, quàm mellis, pungit, & cum venit, & cum recedit. Ipso in procinctu audies conscientiam oblatrantem: Ab miser, quò ruis: ubi pudor? ubi DEUS? hic, hic juxta te; quem videntem, quem vindicantem non effugies. Ipso in exitu ita perorabit: Admisisti: consensisti infelix? & quidem tua illa voluptatula, tanto ambitu quæsitâ, ex oculis evanuit: ex oculis dico, non ex animo: apud quem restat ex illa posthumus dolor, longè acerbissimus partus*

tus. Agnosce igitur. *Non postrema gaudij modo, sed principia quoque luctus ob-*  
*sedit.* Atque hæc damna ne gentiles  
 quidem nesciëre. Accipe nunc, quæ  
*Christiani, quæ Patres, quæ fides tua*  
 persuasit.

§. 4. *Gratiâ spoliat.*

**A**D pecudum sortem miseros, dixi,  
*Venefica illa voluptas* prorsus abje-  
 cit. Utinam hic finis esset, non etiam  
 ad Dæmonum horribilem conditio-  
 nem damnaret! Aspicio, aspicio ô  
 Tyro sapientiæ, quæ doleas. Ani-  
 mum ego tuum, quem vidisti nun-  
 quam, ante oculos sisto: sed heu,  
 quali quantoque è statu dejectum!  
 quam mutatum ab illo Regio inno-  
 cente, *purissimo Spiritu*, qui inter *An-*  
*gelos* quoque triumphabat! nimirum  
 ex quo voluptatem gustasti, amicitia  
 gratiæque DEI destitutus, hostis bo-  
 norum omnium, Christi adversarius,  
 terram, olentem, fuliginosam in cor-  
 pore animam gestas, infami Dæmo-  
 nis cauterio inustam, & tantum non

Dæmones. Vidisti in tabella hinc *Michaelis*, Inde *Luciferi* dissimilliamam effigiem? ùt ille decoro vultu, fronte sublimi, erectam cœli cervicem gerit formosissimus juvenis! hic contra scintillantibus oculis, dirissimâ illu- vie membris obtortis, *monstrum hor- rendum, informe, ingens, cui gratiæ lu- men ademptum*. Uterque animi tui simulacrum est: ille animi, gratiæ do- nis conspicui, hic, peccati labe, defor- mati: Heu me! quid prodest hoc cor- poris cadaver circumferre, si animus caput vitæ, Interiit? Audi *Eccl. 21. v. 2. quasi à facie colubri fuge peccatum, dentes leonis, dentes ejus interficientes animas hominum.*

*§. 5. Servitus Diaboli.*

**E**Cce aliud ex illo malum. Nam quia sese DEO subduxit; in nervum, in catenam, in herilem, imo tyranni- cam Diaboli servitutem conjectus est. Excessit à latere *impuri clientis, puris- simus patronus*, non sustinet teterrimum halitum animæ infelicis: Ei in  
locum

locum succedit Rex & Dominus, qui tandem? *Damon* certè. O qualem custodem! cui dies noctesque non aliud incumbat, quàm misero gulam aut frangere si liceat, aut fringendam objicere. Et tu in tanto periculo tanquam vicino mortis, hostis, flammæ perennis? hilaris es? *ad pœnitentiæ sacramentum* non confugis? O insaniam! sic in morbo *videt phreneticus, sed non est sanus*: sic inter haras exulat à parente *prodigus, addictus uni civium*, nam aut *DEI sumus, aut diaboli*, nihil *medium ait S. Augustinus.*

§. 6. *Conscientiæ stimulus, ægritudines animi, & morbi corporis.*

Quid illi verò in tali solitudine? Quid dico? tali Dæmonum con-  
tubernio constituto? Quid fiet, inquam? quàm multi unique, quàm graves rerù imagines affluent? Quæ spectra per noctem oblata? Qui conscientiæ clamor? Quis latratus? enim verò hic *vermem assiduum*, hic *vultu-*

*rem non fabulosum*, hic furias omnes, hic orcum invenies, orco pejorem. Gliscit intimè, omnesque penitus animi recessus pervadit inquietus horror, pavet ad omnia malè conscium pectus, contremiscit artubus, exalbescit metu: nec sibi nec DEO, nec ulli cohæret. Agunt transversum animi pestes omnes, Intestinum bellum, pugna horrida, cæca tempestas. Talis olim primusque *Cainus*: tales ab illo impij omnes fuère.

Quid dicam quod nonnunquam in vitam ipsam manat exitium? Curatur corpus, frangiturque voluptatum immoderatâ libidine, hic infandæ morborum species; hinc visi in ipso flore jam facti senes, labantibus membris, & fætidis, & effœtis. *Triste, sed justum spectaculum.*

*S. 7. Ignominia, & honorum operum inutilitas.*

**P**Ræter hæc corporis animique damna, alia è civili consuetudine  
pe-



petuntur. Qualia sunt, quòd nemo unquam improbum hominem verè amavit, si improbum nôrit. Multò minùs dignum honore duxit; est enim *honor umbra virtutis*, ùt umbra sine corpore nulla est; ita neque verus honor sine virtute: *nam gloria hæc est, & testimoniũ conscientia nostra. 2 Cor IV. 12.* Sed hæc parva sunt: perpende hic mecum, quàm multis spoliatur bonis, cùm apud DEUM esset in gratiã, inter filios DEI, particeps erat omnium timentium DEUM. Nihil in toto *Christiani orbis* ambitu præclarè fiebat *precum orationum, votorum, austeritatum*, sive in claustris, sive in templis; nihil erat, inquam, ad cuius meriti sortem non accederet. Nunc extorris, vagus à facie DEI, atque à toto fidelium corpore, instar putridæ carnis abscissus, nullam ex operibus vel suis, vel alienis gratiam spemve conciliat. *O periculosum statum cui medicina non prodest! si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil*

*mibi prodest* 1. Cor. 13. v. 3. *Antiochum*  
*recordare; orabat hic scelestus Dominum,*  
*à quo non erat misericordiam consecuturus.*  
*Mach. 9. v. 5.*

**J. 8. Mentis cæcitas & pertinacia.**

**D**ENIQUE ad cumulum ceterorum,  
 exoritur ex hac destitutione tan-  
 ta (quod unum omnium gravissimum  
 est) pertinax obfirmatâque in scelere  
 voluntas, quam nulli inferi, nullæ mi-  
 næ dimoveant, offunditur conscele-  
 ratissimæ menti horrida caligo: suc-  
 cedit immanis quidam ad omnia stu-  
 por, exinde durum, inaccessumque  
 cor, & nullis cœli telis expugnabile.  
 Ridentur omnia, callum obducitur:  
 gratiæ hinc diminuuntur: inde scele-  
 ra, pestes, hostes corroborantur, con-  
 clamatum est. Eò malum erumpit, ut  
 neque peior esse, neque fieri melior  
 possit. Quid infelicius? Rom. 2. v. 5.  
*Secundum autem duritiam tuam, & im-*  
*pœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die*  
*iræ, & revelationis justi judicij DEI. Et*  
*hæc omnia ob momentum quod dele-*  
 ctat,

stat. Expende, expende, inquam, & in te, O Tyro peccans, à DEO dictum fateberis: *Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis, interficiebant animas, quæ non moriuntur.* Ezech. 13. v. 19.

§. 9. *Indignitas peccati, quod DEUM infinitum lædit.*

Multum dixisse videor; sed nihil ad ea quæ sequuntur. Omnis lethifera labes divinæ Majestatis immunitæ crimen est. Ergo huc animum intendito. Principiò toto mihi animo cogita, undique quantum pateat illa *Majestas*? quam immensa? quam omni ex parte incircumscrip-ta? quid in ea potentia? quid virium? quid scientia? quid virtutis? tum ita tecum disputa. Ex dignitate *Majestatis* appetitæ, crimen increfcit: ut quanto augustior est illa, tanto hoc immanius esse, necesse sit. Levius est *obscuri hominis* gratiâ effundi, quàm *prestantis viri*; & hujus quàm *Principis*. At *Regum* nulla non injuria atrox est. Quid igitur

tur si Rex Regum DEUS appetitur? Quid si ab homulo abjectissimo? (*quod aliud caput est indignitatis.*) Quantum intervallum est inter mortalem & immortalem: inter *hominem* & DEUM quis assequetur cogitando? nimirum tam atrox facinus est, tam desperatum, ut si extrema perniciēs immineret *Angelis, hominibus, cælo, terrisque*; optanda sit totius latè mundi ruina, præ unius vel levissimæ in DEUM injuriæ offensione. Quid ergo statuemus de immanibus, nefariisque flagitijs, quæ tam facile admittimus, tot & tantis? hunc tu furorem animo putas posse complecti?

§. 10. *Impudentia.*

**A**Ge (quoniam hoc cepimus) nunc illud meditare: quod non solum tantus DEUS offenditur, sed *presens quoque ac coram* illuditur. Non ignoramus *in ipso nos vivere, moveri & esse*: non nescimus ejus *oculum omnia penetrare*, nec longè ab unoquoque nostrum abesse; *Ast. 17. v. 28.* Nihilomi-

nus audemus, & quasi insultantes tantum non dicimus: Etiam si rebus meis intersis, notes, oculis cuncta designes, scelus hoc infigam ante ora, & te coram, neq; est mihi curæ, quòd doleat, quòd te acerbissimè torqueat. Approbante improbante, æquo atque iniquo aggrediar ac complebo. O intolerandam insolentissimæ mentis audaciam Tu hæc *in DEUM*; O vermis! O pulvis! O nihil! *Quare, quare locum, ubi te non videat, & fac quod vis. August.*

J. II. *Impietas.*

**I**Mpudentem vidisti, cognosce impium: parum est in in oculis fecisse divinis: Novum scelus molitur, *paricidium DEI*. Immortalem ad mortem exitiùmque deposcit, & novus hic *Herodes perditum* cupit non *infantem in stabulo*, sed *regnantem in cælo*: non placet sceptrum, & potestas in *Vindice*: exturbetur à folio, si potest: furit tamen, odit nimiùm potentem, arcet procul ab animo, quantum

tum in se est extinguit, dum *charitatem* in se interficit: in quam, tanquam in divinam imaginem ( quia corpus lædi nequit ) exasperata tigris insolenscit, non sum ego, qui hoc dico: *in ipsum* ait Bernardus, *horribile dictu, deservit authorem*; nam quantum *in ipsa est, ipsum DEUM* perimit voluntate propria. omnino enim vellet DEUM peccata sua vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire, vult ergo DEUM non esse DEUM. &c. crudelis planè, & execranda malitia, quæ DEI potentiam sapientiam perire desiderat.

§. 21. *Ingrati animi labe.*

EST quidem hoc, quod dixi, immane; id ipsum tamen longè horribilibus accidit propter immensam, quâ dilexit nos DEUS *charitem*. quem enim odimus? nonne optimum parentem? à quo victum, vestitum, auramque vitalem accepimus. Circumspice: à capite ad calcem DEI es. Quot in te pili, tot ejus curæ: quot momenta numeras, tot beneficia usurpas. Te matri in utero, te tibi tot annis dedit, dat-

dátque toties, quotis respiras. Ecce nunc cum hæc legis, imò cum peccas (O incredibile dictu) ab ipso pendes protegente, conservante, suis manibus sustinente: si te ista nutrix vel latum unquam desereret, quid te fieret? & tu in ipsa beneficij ulura mammam mordes, lactantem mordes? exulceras, dilanias, dentibus, manibus, pedibus petis, tuis telis, suis donis. DEUM DEO impingis, sibi in ipsum *occurrere vel in offensa facis*: Quid hic dicam? *hostem te putem? filius es. Multum calcitrantem: homo es an furiosum? sanus es. Exclamabo: O filium hostem! O hominum ferum! O sanum insanum!*

## CAPUT II.

De peccato ejusq; pœnis.

### §. I. Contemptus bonitatis DEI.

**U**Tinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Deuter. 32. v. 29. **Questus sum abusum doni, pejus est,**

est, quod sequitur, abusus donantis, hoc est DEI. Indulgentia Patris facit, ut genio indulgeas? Si opprimeret, si fulmine dejiceret, si ad orbem, ut potest, (quis enim vetat?) demitteret, auderes? quia pius est, tu impius? quia parcit, savis? quia non occidit, insanis? ignoscentem calcas, quem punientem vererere? nimirum hæc illa est ingens scelestaque *Vis contra Spiritum S. cui se negat DEUS posse placari, vel in hoc, vel in altero mundo. Math. 12. v. 31.* Læsa quippe patientia, læsus amor fit furor, tu factus es ex ove lupus; sic ille fiet ex agne leo, ex pastore iudex.

J. 2. *Exinanitio Crucis.*

UT quidque attigi, summum videtur, cum semper aliquid gravius instet. *Ad sanguinem venio clamantem, non Abelis, sed DEI sed Agni. O qualem hic quantamque nequitiam! occisus est. Cui? tibi. Impensus, superimpensus, quam tu gratiam refers tot sudoribus, tot spinis, tot flagellis? dicam*



te projicere hunc *sanguinem* in ventos? qualis ille quondam, qui cruentâ in cœlum manu, *vicisti*, clamat, *vicisti Galitæ!* discrimen est. *Julianus* suum cruorem in *Christum*. Nos *Christi sanguinem* in nos effundimus. Inanes ergo spes *Christi*, irritique omnes labores: frustra in *Cruce* pependit. *Sanguis ejus super nos*. *Math. 27. v. 24.* & *Paulus Christus*, ait, *nihil vobis proderit: evacuati estis in Christo à gratia excidistis*, *Galat. 5. v. 2.* Recedit inglorius, & irrisus, non solum à nobis, quibus pependit; sed etiam à *Dæmonibus*, contra quos pugnavit. Quorum hæc est apud *Cyprianum*, gravis in *Christum* insectatio: *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella, nec quicquam magni do: sed falsa pollicitatione deludo: & ipsi mihi omnia sua tradunt, & meo maxcipio se obligant, tuos tales munerarios, Christe, demonstra preceptis tuis monitos.* Concludit *Cyprianus*: *Quid ad hæc fratres carissimi? Est ergo, est grave, illud, sic irridere, & irridendum proponere Christum.*

§. 3. *Instauratio Crucis.*

**H**Eume! nova plaga, peior, immenior. Dixi, te rejicere *Crucem*; mortem obliterare. *Non dejicis sed erigis. Non obliteras, sed innovas.* Venditur rursus, spernitur, deseritur, abnegatur, flagellatur, spinis redimitur, *Barrabbæ* postonitur. *Cain ubi est frater tuus? Quid fecisti? negasne vidisse? aut tuæ curæ commissum, aut à te tam barbarè trucidatum? at ejus sanguis apud Augustinum clamat: Gravior apud me peccatorum Crux, in qua invitus pendeo, quam illa, in quam tu miserus, ascendi.* Clamat apud Bernardum: *Cur addimus afflictionem afflictio? magis aggravant Christum vulnera corporis sui, causam requiris? in Cruce homo tantum patitur; in peccato etiam DEUS.*

§. 4. *Nova proditio Christi.*

**E**Go te, si *Iudam*, proditorem, si *Pilatum*, si *Caipham* dixissem, appelles ad Prætores injuriæ. Dicit non vis, & esse festinas. Quoties prodidisti? ne pro triginta quidem denarijs.  
Et

Et illi per inscitiam; tu *Christi*, tu *DEI* in *Christo non ignarus* Nonne ubi plus gratiæ, plus est sceleris? ubi plus notitiæ, plus est nequitiae? *Judæi*, inquit, *Augustinus*, *Qui eum crucifixerunt ambulantem in terris, minus peccaverunt, quam qui offendunt sedentem in cælis.* Ego te certè, qualem voles dicam Sed te, si peccas Sanct. Anselmus etiam Diabolo nequiores facit: *quia diabolus, inquit, persistit in malitia DEO reprobante: Ego verò DEO revocante. Ille obduratur ad punientem; ego ad blandientem, & si uterque contra DEUM; ille contra requirentem se, ego contra morientem pro me. Ecce cujus imaginem horrebam, aspicio in me horribiliorem.*

### J. 5. Punitur peccatum in Angelo.

Scenas hic dabo horrendas.

**E**Cce in ipso proscenio mundi, inter altissimas nubes, vides *Angelicum illum pavonem?* quam nobili incessu quondam! quam rutilantibus pennis! nimirum Angelorum omnium, gratiâ, decore, potentiâ, scientiâ, naturâ  
fa-

facile principem. *En fortuna!* do nunc calum. *Addmittitur cogitatio superba. Consentitur, O cœli vices!* ruit, ruit illud antiquum, atque à summo vertice non in terram, non in mare dejectus, sed inter flammâs perennes ergastulo addicitur inferorum, ex *Angelo Daemon*, ex felicissimo miserrimus. O catastrophem? ô exitum terribilem! Quæ causa fuit? cogitatio, una unius *momenti*. O cogita cogitationem istâ, & ab una discite omnes. *Mensura Angeli, mensura hominis.*

J. 6. *Punitur in Adamo.*

**P**ermuto scenam. Viridarium propono rosis, myrtetis, delicijs, somno plenissimum: nondum steriles avenæ, nec infelix lolium apparebat, æterni flores, ver perpetuum, pax summa. Hæc *scena*. Sed vide *Cenam* longè infelicissimam: pomum comeditur. Quid exinde? Heu me! Ille *hominum caput, mundi, cœli, terrarum, elementorum, tempestatum, belluerum, piscium, avium, ferarum, & quod caput*

put est, *sui Rex*: ille prudentissimus, sapientissimus, beatissimus in quantas servitutes cladésque venit? omnium pila malorum, ludibrium fortunæ, mancipium sui, nimirum ab uno malo ad omnia mala itum est. Numeræ plagas, rixásque terrarum, maris & cœlijurgia, grandines, procellas, frigora, sterilitates, annonas graves, incendia, diluvia, vestitates. Numeræ pessimi omnium fervorum (*corporis nostri dico*) perduelliones, defectiões, morbos, febres, contagia, lethiferos sudores, quot denique mortes. numeræ pestes animi, iras, livores, odia, simultates, ægritudines, atque hinc neces, parricidia, lites, bella, quam gravia omnia? Quid illa mortis præsentis & futuræ supplicia, inferos, flammæ, tenebras perennes? Quid tot millia miserorum infantium hac gula consumpta? hæc si perpendes, nonne exclamabis? *O malum quanto sanguine stetisti? nonne cum Zachar. c. 13. v. 5. Quoniam Adam exemplum meum*

ab

*ab adolescentia mea. Si talia nascentis mundi initia. Quod erit funus morientis, & damnati?*

**§. 7. Pœna tertia, Infernus.**

**O** *Malum, malum! O momentum, momentum! an in Angelo cogitatio? in Adamo morsus, tam atrociter? in nobis flagitium, & tot flagitia non punientur, cum justus sit index, & omnibus æquus? descendo ab orchestra in caveam inferni, hic tibi scenam igneam, hic lanistas ostendam, nunquam rude donandos. Videbis inquam, non te (quod avertat DEUS) sed tuum peccatum mirabiliter excruciatum, qualecunque voles, blasphemiam, impudicitiam, ebrietatem. Quid hic dico? ignem æternum tui, tui, inquam, peccati pœnam esse. Ignem expende, deinde æternum: tum utrumque committe, ignem æternum. Ignem, nil gravius Æternum, nil longius. Ignem, quo animus, quo corpus, membra, oculi, viscera, præcordia, omnia torrentur. Æternum cui metæ DEUS,*

**&**

& homo qui cruciatur. Ignem, qui cessat nunquam: *Æternum*, qui nunquam finiatur. Ignem, cui noster ignis collatus, sit fumus; *Æternum*, cui vita nostra comparata sit punctis minor, *Ignem Æternum* denique. Hoc est *uri, uri, uri*, & semper *uri*; hoc unum in inferno vocabulum, una hæc actio *uri*, fallor. Una hæc *passio manè, serò, nocte, dieque, fallor, die, nocte perpetua*. credis hoc? *fide certum est*. credis inquam? tu credis? ergo evici, ut, nunquam pecces. *Quis enim poterit habitare de vobis cum ardoribus sempiternis?* *Isai. 34. v. 14.* Tunc, O Tyro, O peccator? experire, & ante ferales nuptias, immutabilem animo, & mente desponde rogam, immitare *scevolam Christianum, Martinianum* dico (Surius 13. febr.) injectâ in ignes manu dic animæ, dic corpori tuo: *poteris ne in æternum uri?*

§. 8. *Pœna quarta jactura cœlestis gloria.*

**V**is adhuc amplius? ita. æterno amplius. Quid? **DEUM** quem per-

N

dis,

dis, *cælum*, quo excidis; *Angelos*, *Beatos*, *Beatitudinem ipsam*, tuam, si non peccasses; *æternam*, si momento non posthabuisses. O qualem luctum! cum hæc in oculis quondam erunt. Egone infelix *mercator* parvo immensa, caduco *æterna*, instabili certa atque mansura postposui; itane est? *DEO* caremus, *summo bono JESU* meo, & *morte JESU*, & *omnibus bonis*? Gaudia illa imensa, quæ *præparavit DEUS* diligentibus se mea non sunt? nec videbo unquam? aut si videbo, tantum ut amissa doleam? O *infernum*, inquit *Chrysostomus*, *inferno acerbiores*?

§. 9. *Peccato impar est omnis pœna.*

**H**ortes in supplicijs, ego in suppliciorum causis, credesne? *Non servitar in inferno, sed parcitur*. minor est pœna, quam culpa, *æternitas*, quam *momentum*, ita est, nec inferni, nec *cælum* explent. Stupes? Stupeo ego stuporem tuum, Audi, in quo exhorrescas multò magis. Si maria omnia in



in lachrymas, cœlum omne in gemitus, quidquid est, in suspiria verteretur; nec sic quidem hujus incendij vel scintillam extingueres. Audi amplius. Si quot *stellæ in cœlo, quot stillæ in mari, quot arena scrupi in littore, tot essent mundi in cinere & cilicio ad expiandam, vel unicam labem, fieret nihil.* Audi amplius. Si ad hoc angelorum, hominum, Dæmonum etiam infinita multitudo concurreret, votis, pœnis, flammis, infinitis, immensis, sempiternis. Audi amplius: Si singulis eorum, quos dixi, omnes omnium inferos exantlarent, singuli essent infiniti, & infiniti infinita sufferrent & infinito tempore: tot victimæ (*O rem incredibilem, sed verissimam!*) tot & tantæ victimæ unquam litarent, quantumvis æternum facerent ac voverent, comprehendis? aut si tibi hæc vertiginem afferunt, fatere omni opinione majus esse hoc malum. Ita S. *Augustinus, D. Thomas, Suarez, Vasquez.*

§. 10. *Punitur in Christo.*

**U**Nus par, qui maximè impar, DEUS. Hic tibi novum aperio theatrum, *Calvariam, DEUS patiens, DEUS in Cruce.* O tragicam scenam! numerata, colaphos, flagella, spinas, clavos, cruces. Cogita deinde, quid sit hæc pati DEUM? expende qui valor sit *sanguinis tanti.* Expende, inquam, pervenisti ad summam? hoc, hoc pretium peccati fuit: *Sanguis DEI, vita DEI, mors, Crucis, anima DEI.* O rem inexcogitabilem! & miramur *Anselmum*, cum dicit: *si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem: mallein purus & innocens, gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cælorum regna tenere? de similitudinibus, non miror, non miror, si parricidam Christi non amat etiam in inferno.* Mutatur scena & *Cælum* fit infernus cum hac furia furiarum, quæ *Dæmoni* quoque *Dæmon* est, & flammis oleum ac bitumen, adest; ardent om-

nia asbestina *Angeli & anima, abest!*  
ros ubique, etiam in fornace est.

*§. 11. Punitur in hac vita.*

**E**T quidem ardentem in Cælo in Para-  
diso, & in infernis, in ipso DEO vi-  
disti, ecce deo conflagram in terris.  
Recordare adulterium *Davidis*, fur-  
tum *Achani*, blasphemum *Rabsacem*. re-  
volve annales, quoties unius ob cul-  
pam & furias regna in exitium data:  
hic millia peste consumpta, hic dilu-  
vio populos, hic incendio urbes. Vi-  
debis etiam pignora in scelere paren-  
tum intercepta, & vicissim parentes in  
puerorum. Videbis totam ab uno fa-  
miliam damnatam, filios, nepotes,  
pronepotes, hæreditariarum lucem  
& nullius in morte morientem. Quod  
si in hac vita, quæ misericordiæ sta-  
dium est, tanta atrocitate sævitur.  
Quid in altera putandum est!

*§. 12. Odium DEI in peccatum.*

**P**ostremò, tela in peccatum nulla  
tam acuta quam DEI verba: *Jra-  
tus est furore Dominus. Exacerbavit*

*Dominum peccator, tactus dolore cordis  
 intrinsecus. Pœnituit eum, odisti omnes  
 qui operantur iniquitatem. Furor in  
 DEO, exacerbatio, ira, dolor, pœni-  
 tentia, odium denique: Quid terri-  
 bilius? Gravis ira Regum semper: DEI  
 qualis, & quanta? mirum! nihil odii  
 eorum DEUS quæ fecit. Tolle peccatum,  
 & vidit omnia quæ fecerat, & erant val-  
 de bona. Gen. i. Pone peccatum. Non  
 Angelus, non homo, non mater, non fi-  
 lius, placere potest. Elephanto sangui-  
 nem ostendis, in furorem agitur, om-  
 nia pessumdat, suos, alienos, servos,  
 filios, & filium filiorum. JESUM  
 CHRISUM. Dicam hic, quod im-  
 menso horrore compleat. Plus unica  
 labes DEUM exulcerat, quam sanctorum  
 placeat omnium omnia præclare  
 facta, dicta, cogitata, perpetrata, quæ-  
 cunque olim aut fuere, aut nunc sunt,  
 aut postea erunt. Attende quid asse-  
 verem? in alteram lancem congere  
 Abrahams, Isaacos, Jacobos; Davides,  
 Prophetas, Apostolos, Martyres, Virgines,  
 San-*

*Sanctas, sacraque omnia, in alteram unum peccatum appende: prævalet hoc omnibus omnium bonis præponderat & descendit. O pondus imensum! O te Atlante fortiorem! qui non cœlum, sed inferos, sed omnibus inferis graviolem molem sustineas. Unde hoc: quæris? Offensa DEI est. En montes! en asinaria mola suspensa collo! Quantum enim DEUS vertice ad auras æthereas, tantum ejus offensa radice in tartera tendit. Quem, quæso, ista, si non planè stipes est, & stipite omni stupidior, non percellunt?*

*Quare concludo: Nihil in mundo exitiosius esse homini: si tamen homo est, qui peccat. Concludo: colubrum esse in sinu, pestem animi, mortem, exitium, flammam, infernum, Megæram; & si quid pejus excogitari potest. Concludo: cum justissimus DEUS personarum acceptor non sit: quod in Angelo, quod in patre nostro, quod in fratribus tam acerbè punivit, id ipsum si in nobis nactus erit, æquali*

pondere puniturum ; imo jam forte  
 punire. *Concludo* : Quicquid agas,  
 quamcunq; in partem te *vertas*, *serius*  
*oculus luendum* tibi est *hic vel illic*, igne  
*aut aqua*, lachrymis *vel flammis* tua est  
 optio. Ergo respice, DEUM time, &  
*mandata eius observa* ; hoc est enim *omnis*  
*homo*. *Eccles. 12. v. 13.* Infert Bernardus ;  
*Si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est*  
*homo* Ego te per quicquid tuum est,  
 æternum & caducum ; quid ego ? tuus  
 te *Christus*, tua *salus*, tua æternitas, tua  
 omnia. Hoc petunt. Si te amas, si *vi-*  
*ram hanc si secundam* : age, quanto ro-  
 bore poteris, inconcusso decreto exe-  
 re vires mentis omnes, ut horrorem,  
 ut odium, ut iram, ut immortales ini-  
 micitas, concipias. Dic : die : veni-  
 ant catastæ, equlei, flagella, scorpj ;  
 non committam. Nunquam, in æter-  
 num non committam. Sit tibi hoc in  
 mente, sit in corde, sit in oculis sit in  
 lecto, *die nocteque fixum*, irrefixum,  
*non peccare*, & si peccasti, peccato non  
 hære. Fuge colubrum, fuge mor-  
 tem,

tem, fuge flammam: insequuntur, instant, post tua terga; respice immensas, infinitas, æternas. Fuge, fuge, inquam. *Sodoma ardet, & ardebit.* Fuge in montes; fuge quò non accedat hæc peccati lues, fuge ocyus dum licet. Cito, cito, longè, longè.

### CAPUT III.

Artes verè poenitendi, & ex timore DEI peccata fugiendi.

**A**Rs prima, per modum brevis Rosarij meditare quatuor novissima Eccl. 7. v. 40. Dic ad crucem: *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Dic ad singula majora grana: *O Æternitas!*

Dic ad singula minora grana, *O mors! O judicium! O inferni! O cælum.*

Ad crucem rediens. Dic: *memorare novissima tua.*

En facile præsidium, paucis enim verbis constat. Si quis fortè non fert jejunia, cicilia, &c. saltem pro infero-

rum incendijs evadendis, ne tantillum detrectet, si otium desit; unam alteramve decadé attentus evolvat.

Divinitus certū est; nam datur, cum Emphasi magnā per Spiritum sanctum promissio victoriæ certæ: nimirum in aeternum non peccabit.

Accedit experientia in personis utriusque sexus, & omnis ætatis: nominatim in retundendis carnis insul-tibus. Fuere *Juvenes*, qui in profundum peccatorum venerant, annisque compluribus isti luto inhæserant: verum hoc præsidio quotidie utentes, brevi emerferunt, atque dixerunt, *impossibile sibi peccare.*

Insuper consultissimum est, dum te aliqua seu die, seu nocte peccandi sollicitat illecebra: quantocyus præsidij hujus meminisse, & saltem semel iterumque cum gemitu dicere: V. G. O *Æternitas!* vel O *judicium, &c.*

1. **F**uit qui quatuor *Consiliarios*, & præsidem consulebat, quoties peccandi occasio se offerat: *Consiliarij*

*erant*



erant novissima quatuor, & Præses Æternitas, hoc ne egero, inquit, ô mors? Quid sentis? pœnitebit, ait. Idemque rogati reliqui, uno ore dixere. Denique in omnibus rebus, majoris presertim momenti, omittendis, suscipiendis, immutandis? ubi periculum esset errandi, vel peccandi, hoc esto præsidium. Ita plurima hominum milia auxilium sensere certissimum, dum in statu vitæ eligendo cogitârunt, quid optassent in morte, in judicio elegisse.

2. Ora devote, & in principio molestæ tentationi occurre, per jaculatorias preces *V. G. O. DEUS meus & omnia, ne permittas me damnari: quem tu de nihilo creasti. Ave MARIA. &c. JESUS misereatur mei miserrimi peccatoris Sancta MARIA mater DEI, ora pro nobis peccatoribus nunc; & in hora mortis mea. JESU filii DEI, miserere mei. Spiritus sancti gratia, illuminet sensus & corda nostra. MARIA mater gratiæ dulcis parens clementiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe: Angele DEI, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, rege, custodi, defende. Amen.*

3. Frequenter apud eundem Confessarium cum solido dolore, & emendationis, proposito confiteri: Huc pertinet quotidianum *pij sodalis examen*, sed accuratum sub vesperum. *Quod si nos met ipsos judicaremus, non utique judicaremur.* 1. Cor. 11. v. 13.

4. Propone efficacissimè, *tempus gratia* malè impensum, per seriam pœnitentiam, & solidam emendationem vitæ, item *indulgentias plenarias* sæpissimè lucrando, recuperare. *Quoniam cuncta que fiunt, adducet DEUS in iudicium.* Eccl. 2. v. 14 *Tempus prope est.* Apocal. 22. v. 10. *labitur tempus instar umbræ; nuncii præcurrentis, navis, avis, sagitta, spuma, fumi, memoria hospitis unus dici: & tempus tamen tam pretiosum, nec poteris pretio vel breve tempus emi.* quia in hujus vitæ tempore vales confiteri omnia peccata, evitare æterna supplicia, comparare æterna præmia, & *ehem!* quot dies, menses, annos perdidisti. 2. Tempus semel amissum, æternum est perditum, & irrevocabile.

bile. 3. Nescis quandiu hoc *tempus gratia* duraturum sit: & ab ultimo ejus momento pendet æternitas, & tamen *nunc nescit homo utrum amore, an odio dignus sit: Eccl. 9. v. 2.*

5. Jejuna, vel à vino aliquoties in hebdomade abstine, vel saltem lautas inter epulas inferni cruciatum Recordare. *Dives evangelicus Luc 6. epulabatur quotidie splendide, & sepultus est in inferno elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit, Heu! quid? Epulas Beatorum, & rabidam famem suam ac sitim æternam damnatorum.*

6. Misericordiæ opera cum spiritualia, tum corporalia proximis exhibe; eleemosynam quantumvis minutam magis egentibus porrige: ita suasit Regi Nabuchodonosori *Propheta Daniel c. 1. v. 24. Peccata tua eleemosynis redime. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, nec patietur anima ire in tenebras. Tob. 4. v. 11.*

7. Exercitia spiritualia S. P. Ignatij (si permittat conditio) fac, aut saltem sæpius recollige, actumque contri-

tionis audita horâ. clice: die occupa-  
 tioni tuæ: *Nunquid paucitas dierum  
 meorum finietur brevi? dimitte me ergo,  
 ut plangam paululum dolorem meum, an-  
 tequam vadam &c. Job. 10. v. 28.*

8. Constanter frequenta Congrega-  
 tionis B. V. conventum, attentè concio-  
 nes audi; namque concio, seu *DE I  
 verbum, lucerna pedibus nostris. & lumen  
 semitis nostris. Psal. 18. v. 105.*

9. E libro spirituali quotidie aliquid  
 lege. Sæpe enim libri efficiunt, quod  
 Concionatores nequeunt. Id conver-  
 sio S. P. Ignatij, & ab ea fundata tota te  
 statur *Societas JESU: si intraverit sapi-  
 entia cor tuum & scientia animæ tuæ  
 placuerit; consilium custodiet te &c. Prov.  
 2. v. 10.*

10. Mortificationi assidue assuesce:  
 tracta corpus tuum, uti divina sapien-  
 tia filij, tractari vult: *Tu virga percuties  
 eum, & animam ejus ab inferno libera-  
 bis. prov. 23. v. 14.* Aliqui in se flagel-  
 lis, & cilicijs sæviunt. *Alij ante, & post  
 somnum positis humi nudis genibus,  
 aut*

aut expansis brachiis diutius orant; alij terram toties osculantur in *vesperino examine*, quoties otiosa locuti sunt. Alij sæviene brumâ uni aut alteri missæ multa cum patientiâ adstant. Alij alia mortificationû genera ingeniosè excogitant, & practicant, dum *Thomæ Kempensis* essatum l. 1. c. 24. recolunt. *ibi in inferno, una hora erit gravior in pœna, quam hic centum anni, in gravissima penitentia.*

11. Otium fuge, & tempus omne quam utilissimè impende. *Hungarus* quidam hujusmodi ædibus suis præfixit Epigraphen: *Tempora, tempore tempera*, Indicans se tempore usurum optimè; ne in se verificetur quod *Jobus* vaticinatur: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt* *Job. 21. v. 13.*

12. *Majestatis divinae & Angeli tui custodis* præsentiam ubique reverere, nec ob metum, crudelissimorum tormentorum, animam ulla vel unica peccati labe coinquina juxta moni-  
tum

tum Christi: *Ne terreamini, ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius; quid faciant, ostendam autem vobis, quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete* Luc. 12. v. 4. *Recole primitus datum Angeli custodis documentum: noli noli, mi Tyro. noli peccare, quia DEUS videt. Angelus adstat: conscientia urget: mors minatur: Diabolus accusat: infernus æternum excruciat. Multò minus ob hominum gratiam, aut respectum conservandum, peccare licitum est: quoniam DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos. Psal. 52. v. 6.*

## Dialogus Isagogicus

*In II. Partem*

# S A P I E N T I Æ S A N C T O R U M.

**C**elestinus. Adsum matutinus saluator, & sanctam quietem tuam fidenti nimium importunitate turbaturus

turus accedo. *Theophilus*, veri amici animum, non ad honesta solum, sed & ad molesta, an esse paratum nescis? placet verò serena in te facies: an & animus adeò tranquillus, ut *mundi status supra lunam? Cælest.* De memet morali sensu enuntio, quod *psaltes Ps. 128. v. 15. cecinit Imperfectum meum viderunt oculi tui, O DEUS: & in libro tuo omnes scribuntur. Theophilus.* Ægris gratulari solemus: cum ægros se esse senserunt: sic evidens animi in melius translatis argumentum est, suas nunc videre imperfectiones, quas ipsas ante ignorabat. Sed an forte molestos adhuc pateris conscientiaë stimulos? *Cælest.* non alios, quam quod *delicta juventutis meæ, & ignorantias* deplorem. *Theophilus.* pro plena pace animi obtinenda, optimum est medium, *generalem de tota vita confessionem* institueret: Confessarium ex approbatis elige, quem censebis tibi aptiorem. *Cælest.* Capió ex octo dierum meditatione, & commissi libelli assidua lectione  
 plura

plura concepi dubia *Theoph.* Audacter, quæ lubet, propone. *Cælest.* Sincerè mihi *Theophile*, ediffere; utrum pravis habitibus & inveteratis peccatis gravatus homo, ad seriam morum, & peccatorum emendationem aspirare possit? *Theoph.* Quid ni verò? potest omnino, imo debet. Nonne tu *Manassis*, *Publicani*, *Zachæi*, *Magdalene* seriam ab horrendis multorum annorum flagitijs legisti, vel audisti, conversionem? nempe istud *Ezechielis* 18. v. 21. Si enim impius (ait Dominus:) egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est? & custodierit omnia præcepta mea & fecerit iudicium, & iustitiam: vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius. Confirmatur ibidem C. 33. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij. Convertimini, à vijs vestris pessimis, & quare moriemini? impietas impij non nocet ei, quacunque die conversus fuerit.

*Cælestin.* Adverto citati loci verba:



*Custodierit omnia præcepta mea, & fecerit justitiam, & c.* hoc certè incipientibus durum esse, & viris solummodo perfectis proprium videtur. *Theoph.* Non te vox *Justitia* terreat, nosti, quod *Rex* cecinit *Psal.* 36. v. 27. *Declina à malo, & fac bonum.* Hæ geminæ *Christiana* etiam *justitiæ* partes sunt: si enim malum fugias, bonum prosequaris, tam tibi, quàm alijs eris officiosus, nulli injuriosus, & hoc facere *justitiam*, hujusque via facilis; tum quia *expedita* ac *libera* ab amore *temporalium* invenitur, *Quorum cupiditate, homo ceu onere gravatur*: tum quia alis *gratiæ* *sustollitur*; & hæc eadem via *justitiæ*, est *charitas*, *vel inchoata*, *vel provec̃ta*, *vel perfecta* ait *S. Augustinus*.

*Cœlest. Justitia* ut video, non procul abludit à *timore DEI*, quam nuperrimè *sapientiæ initium* dictitabas. *Theoph.* Rectè mones, eam ob causam *Eccl.* 1. v. 25. vocatur *radix sapientiæ*, est *timere DEUM*. Quia sicuti ex radice pululat tota arbor, ejusque rami, & fructus:

Etus: ita pariter ex timore DEI pullulat omnis *sapientia practica*; puta omnis virtus, omnis honestas, omnis actio præclara, omnis vita & conversatio sancta. Est ergo *justitia amabilis illa omnium virtutum collectio*. Sic & *Spiritus S.* Eccl. 2. v. 8. 9. 20. Virtutes theologicas, ex timore DEI producendas insinuat. *Qui timetis, inquit Dominum, credite in illum, sperate, diligite in illum, & illuminabuntur corda vestra.*

*Celestinus.* O veni lumen cordium, & cor meum illumina, ut virtutum ac gratiæ repleatur abundantia: quam medijs quibusvis adhibitis unice volo, quæro, desidero. *Theopb.* Benè perfectio volendo, & efficaciter volendo. Procuratur; juxta tritum illud:

*Vis bonus esse? volis tantum, si sique volendo: Is tibi posse dabit, qui tibi velle dedit,*

In hunc sensum Asceta recens, sed eminens loquitur: *si vis, efficaciter, potes una die ad culmen sanctitatis pervenire: Si toto corde adversus à creaturis*

turis ad DEUM convertaris. *Cœlest.* nihil æque in votis mihi est, quam me totaliter virtutum studio consecrare. Tu modum, per expeditam virtutis viam, ad perfectum *DEI amorem*, & voluntatem unionem perveniendi, præscribe. *Theoph.* Hunc intueri codiculum; iste te per expeditam virtutis optatæ semitam adducet ad *Reginam virtutū, charitatem*; modo octiduo fervore ejus lectioni, & meditationi constanter insistas, & post dictum tempus de successu mecum conferre ne graveris.

*Cœlest.* Nihil hic gravaminis sentio; cum gratiam tu mihi præstes: meo actutum musæo concludar, nec admittam, nisi majoris fuerint momenti negotia. Vale, amicorum optime, & pro me, uti soles, ora. *Theoph.* preces à te reciprocas flagito.

Et certus esto, me non cessaturum pro te ad DEUM orare, ut implearis agnitione voluntatis *DEI*, in omni sapientia & intellectu spirituali: ut ambu-  
les

les digne, DEO per omnia placens in omni opere bono fructificans, & crescens in scientia DEI, omni virtute confortatus, in omni patientia, & longanimitate cum gaudio. Ut ferè loquitur Paulus ad Coloss. 1, v. 9. 10. Vale.

## PARS SECUNDA Sapientiæ Sanctorum.

Amor DEI, virtutum

Omnium Princeps.

### CAPUT. I.

Institutiones de expedita  
virtutum via.

**Q**Uæ de sursum est Sapiencia, primus quidem publica est, deinde pacifica; modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ & fructibus bonis: non iudicans, sine simulatione. Jacob. 3. v. 17. Unanimis PP. sensus, ac vox est: in via virtutum non proficere, esse deficere. Cum veró tu, Candidate Sapienciæ tam eximiè in Sapienciæ Sanctorum

etorum tyrociniò, sub Magistro *Timore DEI* profeceris; prorsus tibi progrediendum est: nec licet consistere, multò minus regredi decet. Ideòque videndum inprimis de via expedita ad Sapientiam Sanctorum, perfectum videlicet *DEI* amore, deducente.

§. I. *Fides.*

**N**ON est crede mihi, molis ad astra via, nec altera ad veram sapientiam est admodum facilis. Quibus verò armis instructus iter periculosum inibus? Novi & perнови, quod optima tua voluntas ceu fidelis Achates nunquam à latere tuo discessura sit: Verum pro tam difficili & longinquo itinere necessario quoque retinendus est Ductor & Comes optimus, prudens *Timor DEI* Insuper peregrinanti tibi fides supernaturalis (quæ totum fere subjugavit orbem) in tegumentum & munimentum esto: Ita fere monet Apostolus: *Propterea accipite armaturam DEI, in omnibus summen-*

*mentes scutum fidei, Ephes. 6. Sine fide impossibile est placere DEO, Credere oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator est. 1. Cor. II. v. 6. Et quidem omnes fidei articulos sub mortali oportet credere; si DEUS illos nobis in scripto sacrorum Bibliorum codice, sive in Traditionibus per Ecclesiam revelaverit. Fides autem per charitatem operans, Dei-que mandata implens à me suadetur tibi assumenda. Cum fides sine operibus mortua sit: quoniam & Dæmones credunt & contremiscunt. Jacob. 2. v. 19. Sed nihil DEO placitum operantur. Tu igitur si vera credis, operantur. Tu igitur si vere credis, operando exerce, quod credis, sic te candidum Sapientiæ Candidatum comprobabis.*

*§. 2. Spes.*

**N**EC verò inermen te progredi su-  
fero, firmissimum igitur Spei su-  
pernaturalis Scipionem apprehende,  
quem pertinacissimè teneas, nec ul-  
lo in casu dimittas. Viden, ut is sig-  
num

gnum salutiferae Crucis referat? In hoc signo occurrentes DEI & virtutis pro-  
 ditores, & hostes, vinces. Tu enim  
 aliunde nosti, Spem esse virtutem, quæ  
 certa cum fiducia nostræ salutis, & eter-  
 næ vitæ bona expectantur. Et cum eti-  
 am nobis tam bonus, & beneficus DEUS  
 omnia sanctissimè gubernet; ut nec  
 folium ex arbore, nec passer ex aëre,  
 nec pilus è capite absque ejus nutu &  
 voluntate cadat; plurimum certè au-  
 xiliatrici DEI manui (quæ fida sola est)  
 tribuendum & innitendum huic Sci-  
 pioni censeo.

Erige proinde animum O Candida-  
 te! etsi res tibi accidant inopinatæ, ut  
 vel morbis, vel falsis criminationibus  
 alijsque miseriis & casibus obruaris.  
 Ne despondeas animum; sed Spe illa  
 divina munitus dic cum *Jobo. 3. v. 15.*  
*etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Ve-*  
*rum tamen vias meas in conspectu ejus*  
*arguam.* Dic serio: DEI amorem ac sa-  
 pientiam quæro. Sancto timore Fratris  
 divini amoris urgente, properante sua  
 O spon-

sponte optima mea DEO soli placendi & serviendi voluntate, impellente timorata *conscientia*, inquiram, nec desistam, donec inveniam & acquiram *DEI amorem, ac sapientiam Ss.*

**S.** 3. *Sensus externi vincendi.*

**I** Era pessima iter auspicanti tibi sub initium viæ occurret, quæ semel iterumque repulsa, recurret, donec penitus *gladio Spiritus* juguletur. Est hæc *Gula*, seu *ingluvies*, & *Gastrimargia*, adversus quam certamen primum tibi volenti nolenti, suscipiendum est. Constat satis, *parentum primorum voracitatem*, corporis & animæ mortem toti posteritati attulisse. Salvus iter cæptum perages, ab hac si bestia illæsus abieris: nam è gula stupor, languor, & tædium, scurrilitas, loquacitas, dissolutio, immunditia, rixæ, contentiones, mentis hebetudo, destructio omnium virtutum, extrema egestas, longa morborum series, & ipsa denique mors acceleratur. Pauci sunt infirmi, quos *Gula* ad ægritudinem



nem non adegerit. *Certè plures occidit gula, quam gladius.* Itaque gulam si viceris, præcipua ex parte victor eris.

*Mox sese tibi objiciet basilisco sævior bellua, luxuria,* quæ blandiendo perdet, nisi primam tentationem fugiendo repellas, *Fugite fornicationem,* monet Apostolus; *omnis immunditia, ne nominetur in vobis.* Et Poëtæ dictum pro simili occasione tibi serviat.

*Quid facies, facies Veneris, si Veneris ante?  
Non sedeas, sed eas; ne pereas per eas*

Oculi autem in amore *duces* sunt, & animi tui. ac profectus proditores, nec ad *lasciviam* solum; sed & *concupiscentiam divitiarum,* & *avaritiam* inducunt, unde fraudes, bella, periuria nascuntur. *Verbo omnium malorum radix cupiditas;* oculos igitur coerceat *Timore DEI,* desiderio *Sapientiæ Sanctorum* coercendi sunt, & corpus jumentum instar tractandum, inque perfectionis itinere ac labore, ad defatigationem usque perurgendum.

§. 4. *Opinionum umbra fuganda.*

**S**uperatis autem memoratis bestijs, tota *muscarum* agmina te incautius progredientem, infestabunt, umbras etiam inanium apprehensionum & opinionum ferriculamenta senties, quæ & *phantasiam* turbabunt, & intellectum mille nugis ac nebulis obnubilare molientur. Ipsa insuper voluntas optima brutali & *sensitivo appetitu* tumultuante, nõ rarò gravius impugnabitur: laborandum ergo tibi est, ut *phantasiam* compescas, ne phantasmatis tuxæ *mentis* & *voluntatis* pacem perturbet. **DEUM** animæ tuæ intimè præsentem reverere. Dic cum *Joseph*: quomodo ergo possum hoc malum facere (aut morosè cogitare, & delectari, & *peccare in DEUM meum*?)

Insuper, valde proderit ad inanes fungandas cogitationes, *intellectum* à curiositate continere, nec mores, actus, dictave per viam tibi obviam venientium, observare, inquirere aut temerè interpretari, Tu tuo profectui

attentus ad *DEI* amorem contende, & leviculas apprehensiones nihil morare: tum per inania aëris, muscæ ejusmodi facilè avolabunt, atque securum ad *sapientiam* iter tibi relinquent. Quandóque tamen circumspiciendum est, ne serpens virulentus *Acedia*, te clanculum admordeat: teque à perfectionis tramite avertat, dum torporem, nauseam, ac tepiditatem infundit.

§. 5. *Humilitas.*

**M**agnis igitur passibus per vastam vitæ hujus solitudinem, *DEI* timore constanti Comite, in via virtutis progredienti tibi *vana gloria* se associabit. Tu verò *mi Candidate*, cave, cave, ne adulantem, aut garrientem auscultes. *Sepi aures tuas spinis & vanam gloriam* quavis *hydra* crudeliorem, sagittis è tyrocinio tuo collectis, *precibus* nempe *jaculatorijs* eminus confige, alioquin totus quantus pugne & viæ labor irritus foret, & *immensus*

*gloria æternæ pondus pro temporanea gloriosa stolidissimè commutares.*

At ubi desertum feliciter prætergressus fueris, amplissima in valle varia *scientiæ salutis* Gymnasia, & virtutum *Palæstras* conspicias: tu verò ad domicilium infimum, quod *Humilitas Amori DEI* gratissima amica incolit, properabis. *Quoniam Humilitas inducit hominem in cor DEI, & in colloquium spirituale,* ait *S. Brigitta*. Ista te Magistra omni cum suavitate suscipiet: modò te *Sapientiæ Sanctorum Candidatum* probaveris. Si ad illud, *tu quis es? vilipendis te metipsum? nosti te ipsum? respondere possis: quod sis secundum corpus vas fragile; compendium miseriarum: secundum animam servus inutilis, & toties inferno dignus, quoties peccati mortalis reus: Responde, Quod sis homo & universa vanitas omnis homo, cujus vita somnus, bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fanum, umbra, cinis, punctum, vex, sonus, aura, nihil, ○○○.*

Tum

Tum ipsa primam tibi lectionem, & solidum inveniendi amorem DEI indicium; ab *Incarната Sapientia* acceptum valde serio inculcabit, & tanquam *secretum secretorum* aperiet, quod est hujusmodi:

*Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cælorum.) Matth. 18. v. 3.* Et hoc dogma, ut profundius cordi infigas, audias oportet, quid ulterius in vicinis ædibus præscribatur à *Modestia*.

### J. 6. *Modestia.*

*M*odestia germana *Humilitatis* filia paucorum verborum *virago*: ejus ergo voces omni studio, *Amoris DEI* inveniendi desiderio, excipiendæ sunt: monebit illa te, ut *verecundiam* & *circumspectionem* observes, nec loquaris nisi cogat necessitas: vultum in alterius obtutum non erigas, risum contineas, flere potius optans, quam

ridere, quia *Beati qui lugent*. Incessu gravi, oculis humi fixis, habitu vili apparere gaudeas. *Rusticitatem & durtiē* ita temperes, ut tamen nec in vestium cultu, nec in domesticorum delectu, nec in ferculorum luxu quidquam molle admittas.

Comprimis verò linguam *prudētis silentio* frenare ex Apostolo *Jacobo 3. v. 6.* hortabitur, *lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat, lingua ignis est, universitas iniquitatis, nec quidquam mali sub cœlo est, quod lingua vel non pepererit, vel non promoverit. Si denique duplicitatem, simulationem, sermonum ambiguitatem declinaveris, ad DEI amorem propius accedes, quia cum simplicibus sermocinatio ejus. Sed ad proximas mansuetudinis te deducet classes, ubi certiora amoris DEI inveniendi signa compe-  
rias.*

§. 7. *Mansuetudo.*

**H**Æc suggeret tibi modum & scientiam iræ furorem mitigandi, ex

*magistri divini prima institutione discipulis tradita: Discite à me, inquebat ipse, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Ita siquidem brevis insania est: unde Poëta:*

*Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.*

Et hæc iræ insania semet profert, in faciem exit, ac velut ignis omnia corripit. *Vt mansuetudo iram, sic clementia punitionem moderatur: illa ad omnes, hæc ad Principes & superiores pertinet. Vt verò hinc diggrediens, ad prudentiæ colloquium admittaris, loco tessaræ hanc sapientiæ gnomam habeto: Fili in mansuetudine operæ tuæ perage, & super hominum gloriam diligeris. Eccl. 13. v. 9. Pro auctario & quasi viatico hujus vitæ & morum magistra regulas has accipies*

1. submissè sine strepitu & humiliter loquaris.
2. Non utaris verbis imperiosis, austeris, quæ aliorum contemptum redoleant.
3. Nullum verbo, gestu,

stu, opere contristes, etsi vilis sit. 4. De nullo queraris, etsi te injuria affecisset, excusa si potes, saltem voluntatem. 5. Offendentem prævenias deprecando, quod indignandi occasionem dederis. 6. Alios sine gravi causa non reprehendas. 7. Benignè tolera aliorum defectus. 8. Ne exhibeas antipathiam, seu aversionem ab aliis. 9. Ne ostendas te fastidiosum vultu, gestu. 10. In afflictos commiserationis affectum exere. 11. In copia negotiorum, animi tranquillitatem retine. 12. Non cura tuos defectus aliis esse notos.

J. 8. *Prudentia.*

**P**ostquam sat, diu & sedulò in classibus, & officiis *Humilitatis*, *modestiae*, *ac mansuetudinis* &c. Te exercueris, & ab jisdem *magistris*, commendatitias acceperis, *per tritam sed angustam semitam* ambulabis donec ad amænum in aperto campo situm lycæum deveneris: ubi *prudentia* virtus principalis, & virtutum aliarum dire-

re.



*rectrix, rectam, singulorum in particu-*  
*lari hic & nunc agendorum rationem pa-*  
*lam profitetur; hæc viam inveniendi*  
*amorem DEI compendiosè præscribet.*  
*Quidquid agas, dicas, mediteris, prospice*  
*primum; Proximo an expediat, compla-*  
*ceatque DEO: Dein claritatis causa ali-*  
*as adjunget præceptiones. 1. Vir pru-*  
*dens nihil aggreditur, quamdiu ali-*  
*qua passione, aut animi perturbatione*  
*agitatur. 2. Nihil præcipitanter agit.*  
*3. Nil temerè, aut sine ratione. 4.*  
*Aliena consilia libenter audit. 5. Res,*  
*utin se sunt, sine vana apprehensione*  
*observat, & judicat. 6. Futura atten-*  
*dit, & casus prospicit, qui evenire*  
*possunt. 7. Re jam peracta, dicere*  
*non putarâm, stultum censet. 8. Sub-*  
*tiliter res examinat, ne circumstantia*  
*opus bonum vitiet. 9. Deliberat, an-*  
*tequam agat. 10. Decernit circum-*  
*spectè. 11. Fugit astutiam. 12. Quod*  
*decrevit, constanter & primo quo po-*  
*test tempore, exequitur. Si sapien-*  
*tiam invocaverit & inclinaverit cor suum*

SAPIENTIÆ SS.

*prudencia tunc intelliget timorem Domini, & scientiam DEI inveniet: quia Dominus dat, sapientiam, & ex ore ejus prudentia. Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter servans semitas, justitia, & vias Sanctorum custodiens. Tunc intelliget justitiam & judicium, æquitatem & omnem semitam bonam. Proverb. 2. v. 2. 8. 9.*

§. 3. *Justitia.*

**H**is à *prudencia* auditis: si animum à tot feriis & gravibus præceptis nonnihil lassum & molestiâ nauseantem ex itineris longinquitate advertas, ardens amoris DEI inveniendi desiderium te cum Timore DEI stimulantem, libenter audi atque tibi diffidens. baculo solido *confidentia in DEUM* innixus, per montana ascende alacriter, & statim tibi objicietur angustum palatium, circumcirca cinctum, duodenis omnino castellis, quæ *Virtutes* nobillissimæ, totidem quasi *Dynasta* possident. *Princeps virtus justitia*, amoris DEI singulariter dilecta: eo quod ipsa gloriam DEI zelosè promoveat, ad

*amorem proximi*, tum per se, tum per virtutes subordinatas valde conducatur; *Sapientiam SS.* deprædicet, omnesque à proximo injurias avertendo, & animos hominum *conciliando mundum universum* in pace constituat. Has ibidem leges *justitia* accipies. 1. *Vir justus* neminem lædit. 2. Non vendicat. 3. Omnibus prodest. 4. Benè de omnibus sentit. 5. Non impedit alterius bonum. 6. *Magistratum* docet *justitia*, ut *justa* præcipiat. 7. Commodo propria utilitatibus subditorum postponat. 8. Pœnis vitium coerceat, præmia bonis largiatur. 9. Omnes in officio contineat. 10. Subditis injungit eadem *justitia*, ut concordiam servant. 11. Legibus & justis majorum parcant. 12. Suo status contenti, officia & dignitates non appetant, nec se rebus ingerant, quæ ad se non spectant.

§. 10. *Religio, Pietas, Virtutes justitiæ subornata.*

**R**eligio inter mores præstantissima te instruet, qui *DEUM* summum bonum agnoscas, illique soli in & externum *latriæ* cultum, in sacrificijs & ceremonijs exhibeas. 2. *Pœnitentia* juris divini læsi reparatrix, urgebit, & docebit peccata præterita detestari, in eadem non relabi. 3. *Pietas* hortabitur, officium debitum, cultumque *Patriæ, Parentibus, Fratibus*, alijsque sanguine junctis tribuere. 4. *Observantia* similia ferè præcepta injunget, & tibi explicabit, debitum honorem *Principibus, Prælatibus, Præceptoribus*, alijsque ullo modo scientiâ, ætate, munere, virtute dignioribus & præcellentibus exhibendum. 5. *Obedientia* te diriget, quomodo legitimis superioribus non promptè solum, sed & perfectè (exemplo Christi) te subijcias, eorumque voluntatem amore *DEI* in omnibus mandatis, ubi peccatum abest, impleas. 6. *Gratitudo* exponet debitum, quo ob acceptum beneficium gratias referas: quas semper

per referre poteris, si memorem mentem, erga benefactores, alas, vel voluntate saltem, quidquid vales, referre coneris. 7. *Veracitas* suadèbit, ut nec verbo, nec opere, nec scripto, *muliebri, & puerile mendacij vitium* incurras: nam lucem odit, *quisquis malè agit, aut malè loquitur*: Veritas nuda maximè placet omnibus. 8. *Simplicitas* docebit te res simpliciter & candidè enuntiate, prout sunt sine *Duplicitate*, sine hypocrisi, non *exaggerare, non minuere*, & talem te exterius exhibere, qualis in cute es, ne *in corde & corde loquaris*. Psalm. 11. v. 2. Proprios defectus non palliare, de nemine malum *suspicari, soli DEO entij simplicissimo* placere. 9. *Fidelitas* mandabit legitimè promissa servare, imò & hostibus fidem servandam, nisi peccandi periculum incidat. 10. *Amicitia* ( *qua est mutua duorum benevolentia, in virtute fundata, bonorum communicationi conjuncta.* ) Quatuor amici *doctes tibi commendabit, fidem, inter-*

*tionem, boni discretionem, patientiam.*  
 11. *Comitas. Urbanitas. Affabilitas* præscribet tibi *mediocritatem conversationis, cum his, qui aliqua ratione tibi vel sunt æquales, vel etiam inferiores, ita ut citra rusticitatem ijscum loquaris, & citra scurrilitatem joceris.* 12. *Cum etiam beatius sit dare, quam accipere. Liberalitas largitiones mediocres ex ratione (nam magnificentia splendidos. magnosque sumptus regit :) amore DEI faciendas informabit.*

J. 11. *Temperantia, Castitas, Pudicitia.*

**E**T quoniam non theoriam solum, sed praxin perfectissimam addiscere debeas, ut *Sapientiam Sanctorum acquiras*, menses plures in virtutum illarum auditorijs & obsequijs te exerceri convenit, quæ singulæ *DEI amoris amicæ* sunt, & te ulterius ad *Temperantiæ sedem* ex tuo merito & studio promovebunt. Intra fores autem *Temperantiæ* non admitteris, nisi luculento actuum eximiorum testi-

monio te virtutes reverenter coluisse, & supra mediocritatem apud illas profecisse opere ipso demonstras.

*Temperantia* tibi per tam varia probato mediocritatem præscribet amore DEI & desiderio sapientiæ, servandam. In voluptatibus, quæ ex gustu, & tactu percipiuntur, districtè examinaberis quomodo te in pugna contra *gulam* & *luxuriam* gesseris: si viriliter illas bestias subegeris, ad *abstinentiæ* & *sobrietatis* conclave mitteris, ubi naturam paucis contentam esse experiaris, ut stomacho indies stipem exiguam porrigas, vinoque modico ac benè diluto assuescas.

Hæc eadem Princeps virtus *Temperantia*, *Castitatem*, & *Pudicitiam* inter familiares numerat, quæ ex oculorum tuorum custodia, ex sermone, ex gestibus, ac moribus, aliisque signis colligent, utrum *DEI* præsentiam & timorem comites assiduos habeas, utrum pravorum consortium civitatis, & *Otiositatem* fugeris. In quibus

bus omnibus, si ijs ex voto satis feceris, cum laude per semitam longam & angustam quidem, glareâ, dumis, & tribulis horridam, sed tutam & re-  
ctam, ad Fortitudinis & Patientia Acropolim dirigeris.

§. 12. Fortitudo, Patientia.

**P**Rinceps virtus Fortitudo arcem turribus, vallis, & armis instructissimam habitat, & gubernat ad quam meticulosos & pusillanimes, uti non admittit, ita præfidetes ac temerariè audaces, utpote spiritualis militiæ & Christianæ disciplinæ turbatores, penitus excludit: Fortes è contra in adeundis, sustinendis, in rejiciendis periculis animosos suscipit, dirigit, severeque exercet eos Sapientiâ Ss. capaces, Deique amore dignos probat, & animos confirmat.

Hic Te Candidate sapientiæ, specimè animi, propositi, fervoris ac desiderij dare necesse est; An pro amore DEI, dedecus, ægritudines, cruces, omnes molestias sustinere possis, ita ut nullæ  
mi-



minæ, nullæ preces, nullus tormentorum, & confusionum terror, nulla vis, nulla pericula, nec mors, quantumvis truculenta, à recto & constanti DEI obsequio, te detorquere valeant, ut ita vivas, & tamen quotidie moriaris, & hæc est militia vitæ hominis super terram. Job. 7. v. 1.

• *Magnanimitas* quidem virtus excelsa est, cujus robustissima vis semper ad magna tendit, & actus heroicos elicit: At

*Patientia est virtus, qua mala hujus sæculi a quo animo, DEI amore quis sustinet, & nulla virtus est, cujus exercendæ, crebriores incidant occasiones: & nullum ferè momentum labitur quo non, strenuè dimicandum, imò patiendum sit. Si desint externi hostes, in te, & ex te nascentur, quæ crucient, & te quantum fatis exercent. Nec vere erit sapiens, qui non est patiens.*

*Patientia verò propriè dicitur cum injurias quis fortiter excipit. Equanimi-*

*mitas*, cum in ferenda jactura bonorum externorum quis immotus manet. *Longanimitas* munit pectus adversus rei expectatæ dilationem. *Constantia* firmat voluntatem ad illa quæcunque mala propria & aliena, privata, & publica toleranda. In hac etiam *Patientia Palestra*, identidem occinitur: *maximus Candidati profectus primus* hic est, 1. Bene facere. 2. Mala amore DEI pati. 3. Ita perseverare usque ad finem.

Indicia veræ *Patientia* ibidem audies, hæc videlicet. 1. Aliena mala æquanimiter ferre. 2. Inter flagella DEI non murmurare. 3. Eorum qui mala inferunt, consortium non fugere. 4. Inter contumelias ab odio custodiri. 5. Divinæ voluntati, quæcunque nos angunt, adscribere. 6. In malis silere. 7. Mala inferentes diligere. 8. illatas injurias soli DEO conqueri. 9. Se ad omnes ærumnas paratum offerre. 10. Cum gaudio & gratiarum actione quæcunque ad-

verla

versa suscipere. 11. Erga proximi  
 imperfectiones nullum indignatio-  
 nis signum ostendere. 12. Optare  
 quodvis incommodi & calamitatis, à  
 quovis, quocunque tempore & mo-  
 do illatum suffere. Atque ista est com-  
 pendiosa ad *DEI* amorem via: hi pati-  
 entiae gradus à te strictè servati cer-  
 tiùs ad *amoris divini Regiam* deducunt.

## CAP. II.

De amore *DEI*,

*A Candidato sapientiae per  
 viam patientiae tandem invento.*

*Diligite Dominum omnes Sancti eius Psal.*  
*30. v. 24. Custodit Dominus omnes dili-*  
*gentes se. Psal. 144. v. 20.*

§. 1. *Accedens ad amorem DEI, omnibus  
 creaturis valedicit.*

**P**rotinus ubi clivum conscenderis,  
 & è spinis ac molestiis innumeris in  
 via *Patientiae* objectis, eluctatus fue-  
 ris, *Regiam amoris divini* sublimibus  
 columnis insignem conspicaberis, in-  
 de

de vehementer gaudebis, quod iter usque adeo tædiosum & difficile, ad tam illustre deducat palatium. Nec mora terrenis omnibus, similem in modum temetabdicabis.

*Valete* divitiæ, voluptates, honores, *valete* deliciæ, pompæ, gaudia: *valete* libri profani, studia, litteræ inutiles. *Valete* amici, sodales, affines, consanguinei, & tota charorum turba *Valete* fabulationes, ludi, epulæ, venationes, theatra, *Valete*. *Vale* pseudopolitia, poësis lubrica, cantus obscæri, musica seductrix, *valete*: verbo ut absolvam, munde immunde vale; *Salve dulcis amor!* amare non amarè, sed *dulciter amare* deinceps unicum meum negotium erit, & ex amoris præscripto ac regulis vivere, erit mea gloria, mea voluptas, mea opulentia, meum studium, mea amicitia, totum munus meum erit, *amare DEUM meum, summum bonum* omni amore dignissimum. Sic hic *DEUS meus & omnia.*

§. 2. *Ardentius sancto amori jungi desiderat.*

**N**EC mireris quod proprius ad palatij *Amoris* fores accedens, clausas esse deprehendas : hæc ipsa offertur tibi occasio ; corde humili, voce lacrymabili, desiderio ineffabili suspirandi, pulsandi, clamandi, orandi ; *nam oratio humillantis se nubes penetrat, & donec propinquat, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat. Eccl. 3. v. 21.* Ea propter exclama validè cum sancto *Bernardo*, De amore DEI c. 3. 4. 5. *Amor veni in nos ! posside nos : dispereant à facie tua in nobis omnia sceditatis nomina, Domine cui soli amor debetur !* vel cum *S. Augustino* med. t. c. 34. 35. *Da Domine, ut perfectè te diligens, & dignè te laudans, ipso cordis palato sentiam, quam dulcis es. Te invoco in animam meam, intra in eam, sanctifica me, vas tuum, quod secisti : De malitia evacua, imple gratiâ, & plenum conserva.*

*Dulcissime, benignissime, amantissime, clarissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrime ! tu melle dulcior, lacte & nive candidior, neclare suavior, gemmis & auro pretiosior, cunctisque terrarum divitiis & honoribus mihi charior*

*rior te corde submisso O DEUS adorans, desidero plus amare, quam omnes tentati aut pravi unquam offenderint. Desidero te amare; uti te amat beata omnium SS. æternitas.*

**S.** 3. *A misericordia exauditus, optat semper in amore DEI & misericordia operibus se exercuisse.*

**L** Amenta & desideria tuâ prior omnium audiet Regiæ Amoris DEI ostiaria, *Misericordia*, hæc portis aulae apertis suaviter ex te intelliget, utrum amore DEI te dignum exhibueris? opera misericordiae, tum spiritualis, tum corporalis in vita exercueris, & tibi occinet: *Judicium sine misericordia, illi, qui non fecit misericordiam. Jacob. 2. v. 13.* Nam in districto judicio universali objicietur: *Esurivi, sitivi, hospes, infirmus, nudus eram. Math. 25. v. 43.* Huic tu vultu modesto, ducto altum suspirio ingenuè fateberis: Facultates admodum accisas tibi fuisse: voluntatem tamen optimam omnibus benefaciendi, semper tibi mansisse, manu, consilio, stipe, calamo eger.

egentibus, te non raro succurisse, at-  
tamen te plus præstare & debuisse &  
potuisse. Hinc ingeminando devotè  
opta :

O si vertere retro annos vitæ meæ  
possem ! O si facultas foret, ut horas,  
& dies, & menses remerirer, quam  
aliam vitæ telam ordiner ! quam alias  
curas, cogitationes, studia suscipe-  
rem ! O redi juvenus ! redi lactea ætas,  
ut cum lacte misericordiam combi-  
bam, quam *amore DEI* proximo ex-  
hibeam. *Ægrotante Ezechia Rege, sol vi-  
am suam remensus, umbram usque ad  
decimam retro lineam retraxit. Isai. 28.  
v. 8. tempore Josue immotus in cæ-  
lo sol substitit. O utinam retraheret  
me divina misericordia usque ad pri-  
mam vitæ meæ lineam ; aut tot an-  
nos, quot sceleratè vixi hæctenus, sol  
consisteret, aut ad ultimam usque  
mortis lineam in stadio amoris & ope-  
ribus misericordie decurrerem ! ma-  
num hic, ah ! mihi porrigat Pater miseri-  
cordiarum & DEUS totius consolationis !*

§. 4. *Examinatur ab Amore proximi.*

**P**ost hæc juvenculus forma, moribus eloquio, vestitu decorus & amabilis ultrose offert, nomen fronti aureis literis inscriptum leges, *Amor proximi*, hic salve, *frater*, prior tibi apprecabitur, qua de causa, quibus ductoribus ad *Amoris Regiam* perveneris, an sub *Humilitatis, Modestie, Pœnitentiæ, disciplina fueris*, quantum in *Gymnasio & via Patientia* protegeris, accuratè interrogabit.

Tu verò, O Candidate, in pias lacrymas resolutus humi te posterne, illiusque *Amoris* pedes reverenter deoscolans, innumerabilium contra eum delictorum veniam deprecare, & quam candidè, tam modestè ita profare: *Frater dilectissime, sub sacro Timore, divini amoris fratre germano. Tyrocinium subij, ductore eodem salutari Timore ac mea optima voluntate per vitæ miserabilis, & horrendis belluis infesta deserta ad virtutum domicilia appuli, sed ubique, frequentissimè lapsus ac relapsus sum, ferèque ex tot tam-*  
que



que gravibus (maximè in gradibus mansuetudinis, modestiæ ac justitiæ, Tibi Ò Frater Amor, propinquitate junctis) lapsibus periissem, nisi *scipio sanctæ spei*, & prudens, ac fortis viæ ductor *Timor DEI*, cum *optima voluntate*, memet sustentassent à perditione, aut è lapsu erexissent: atque hunc in finem molestum illud iter suscepi, ut ad amabilissimum *Clementiæ Magistrum*, *Amorem DEI* accederem, à quo vulnorum occultorum medelam compararem, & in dies futuros robur acquirerem. Unde quam possum demissimè, & enixissimè rogo te, & obtestor, ut me ad *divinum Amorem* introducere digneris, à quo artes perfectè amandi condiscam, & plenam animæ sanitatem recuperem.

§. 5. *Prima amoris rudimenta capit.*

EXtemplò te intromittam. *Candidate frater*, reponet *Amor proximi*: Verùm altiores sunt *artes amandi DEUM*, quàm ut eas tam facilè, & citò tu percipias: nostin' quid *Incarna-*

*ta sapientia iteratò præceperit? In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem Joan. 13. v. 18. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos v. 12. Diliges proximum sicut te ipsum. Matth. 22. v. 39. Item quàm graviter inculcat discipulus Amoris, charitatem proximi i. Joan. 4. v. 20. Qui non diligit fratrem suum, quem videt, DEUM, quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligit & fratrem suum. Filioli, diligite alterutrum. Similiter & S. Paulus i. Cor. 13. v. 4. Indicia amoris proximi proponit, dum dicit: Caritas patiens est, benigna est, caritas non æmularur! &c.*

Proinde sedulò & assiduè in Alphabeto amoris proximi, te exerceri necesse est, & hòc probè imbibitò; artes amoris DEI, & tuæ animæ salutem faciliùs assequeris.

¶ 6 *Alphabetum Amoris proximi docetur.*

**A**stutiam, ambitionem, æmulationem,

nem, ad verferis: aures ab obtreſtatoribus & maledicis avertas. *Benevolentiam* & *beneficentiam* omnibus ultrò exhibe. *Contumelias*, calumnias cave; captivis condole. *Detractiones*, *delusiones*, *deceptiones*, diligenter devita, *Eleemoſynas* egentibus elargire. *Famam fratris* fortiter propugna, fuge *factiones* & *furta*. *Grandi loquentiam*, *vanamquè gloriam* detestare: *gaude cum gaudentibus*. *Gestu* & *habitu Humilitatem* ostende. *Humanus*, *honestè hilaris*, *hospitalis* esto.

*Invidiam*, *iram*, *indignationem* in te excinde. *Infirmos* juva, & *invise*: *Inimicos* dilige, *Lingua* & *loguella* ne lædas quenquam, *liberalis* esto. *Manſuetus* audi, *murmurationes*, *mendacia*, *mordacitatem*, *morositatem* fuge, *mortuorum* in *Missa* memento. *Nemini noceas*, *nullifacias*; quod tibi nolis fieri, *Odium proximi*, *offensas* omnes ore & corde cave, *Ora pro persequentibus* & *calumniantibus* *Matth. 5. v. 44*. *Pauperibus* panem porrige, pa-

Etum serua, pro peccatorum conversione precare. *Querulus* ne audias, quoties in te peccârit frater tuus, dimitte ei usque septuagies septies. *Matth.* 18. v. 21. *Quacunque vis, ut faciant tibi homines, & tu fac illis similiter, quantum potes.*

Rancorem à te remove, redde injustè ablata, reconciliare fratri, ante solis occasum, relicto etiam ad altare tuo manere. Scandala, seditiones, socios leductores, suspensiones sermones finistros, susurrationses declina. *Turbas*, temeraria iudicia, tentationes contra charitatem tempestivè rejice. *Vim & vindictam* cohibe, *vesti nudos*, venerare majores, veniam roganti facilis concede. *Xenodochia* visita. *Zelum* animarum exerce, *zizania discordiarum & vitiorum* in aliis eradica. Ad rem S. *Augustinus Hom.* 37. *Dilige misericordiam, fuge luxuriam, incipe etiam inimicos diligere: & cum hac fideliter custodire toto corde contenderis, istis virtutibus, velut quibusdam gradibus poteris ascendere, ut merearis toto corde, toto animo, & tota virtute DEUM diligere.* 5. 7

**J. 7.** *Cor rebus omnibus pretiosius offerre jubetur.*

**A** Ge nunc, perget te adhortari  
 Amor proximi: Age Candidate  
 frater, anteambulonem constanti,  
 ac religioso gressu me sequere, nec  
 sollicitus esto, ecquid muneris offe-  
 ras. Pretiosa equidem fuerunt templ.  
 Salomonis, & Ephesiorum: pretiosæ  
 gemmis, auro, argento illustres aræ:  
 pretiosæ vestes sacerdotum rarissimi  
 operis: pretiosæ picturæ & tabulæ,  
 præstantissimorum artificum manu-  
 factæ: sed corde & ardenti DEO soli  
 placendi & serviendi desiderio nihil  
 pretiosus. Nam velut nihil pretiosius,  
 aut majus Amore est. 1. Cor. 13. v.  
 13. *Major autem horum est charitas.*  
*Dilige Dominum DEUM tuum, hoc est*  
*maximum, & primum mandatum.* Ita  
 cor, Sedes amoris, maximum & pri-  
 mum munus est, quod ipse DEUS plu-  
 rimi æstimavit, dum nihil sibi pretio-  
 sius offerri petijt. Prov. 23. v. 26. *Præbe,*  
*inquiens, fili, cor tuum mihi. Oprima,*

ait S. Thomas, & nobilissima actio est dilectio. Quilibet motus charitatis valet regnum cœlorum. O pretium inæstimabile!

J. 8. *In Adventu & conspectu Amoris  
DEI exultat.*

**H**is ita gestis, confestim Amor DEI in conspectum, tibi se dabit: tu verò Candidate cœlestis sapientiæ, totis cordium medullis, laxatis præcordiorum affectibus in faciem præreverentia & religione prostratus, voces similes toto conatu emitte.

Quidnam hoc est, quo me affici sentio? O DEUS meus! O pars mea DEUS in æternum? Adverto cor meum, nescio qua insolita amœnitate, cœvernâ quadam aura, perflari: quidnam sibi vult hæc procella delectationis, quâ inundor? Unde isti liquidissimi voluptatis fluctus ad aridum littus pectoris mei appulerunt? O lux mea diu quæ sita, desideranti animo concupita. O DEUS animæ meæ, agnosco adventum tuum in cor meum! Tu  
per

per gratiam tuam me invisis, & reple viscera mea donis tuis.

*J. 9. Non fugit ut Adam, sed ut filius prodigus, gratiâ vestiri postulat.*

**O** DEUS ! ecce adsum, quia vocasti me : loquere ; Amor divine, quia audit serv<sup>9</sup> tuus ! loquere, O Sapientia Incarnata ! quia audiens sapiens ( Sapientia<sup>æ</sup> Sanctorum Candidatus ) sapientior erit. Faceffat à me *Adami* trepidatio, qui cum audisset vocem tuam *deambulantis in paradiso* : Gen. 2. abscondit se à facie tua & vocatus à te, ineptam excusationem attexuit, se timuisse ante te comparere, eò quod corpore nudus esset, causa autem vera erat, quia animum amissis gratiæ, & virtutum donis nudum habebat.

O Benignissime DEUS ! licet ego quoque à virtutibus sim nudus : tamen pudibundus, & verecundans, cum filio prodigo gemens exclamo : *Pecavi in celum, & coram te !* vel ideo spero, spero à te non tunicâ pellicea, sed gratiæ primâ stolâ indui, & aureô chari-

*tatis annulô ornari.* Qui non quæris me, uti *Adamum*, puniturus, sed ad dulcia amicitiaë oscula, & gratiaë amplexus admissurus: venis mihi Rex pacificus, non iratus. Progredere ad me, non tanquam *judex*, sed tanquam *Sponsus*, ut inducas me in cellam *vinariam* delectationum tuarum: & ordines in me *charitatem*.

§. 10. *Ex beneficiorum memoria ad Amorem accenditur.*

Cœlum & terra clamat, ut amem te: Sed O pulchritudo tam antiqua, tam nova! quam serò te amavi! fecisti me ad te, & ex infinita nocte nihil mei, eduxisti me: per tot annos singulis momentis cum sollicitudine ut pupillam oculi, per sanctum Angelum Custodem conservasti me, ac quasi denuo produxisti me; & nondum amaram te! mandabas, minabaris, alliciebas me, ut diligerem te; & nondum amâram te! Cœlum, terra, pontus, aër, mihi serviunt; Sol, luna, sidera, suos mihi cursus exercent, & omnis



nis creatura obsequium præstare ; propter me tam variis & miris modis, tam liberaliter, liberè, gratis & constanter creaturis communicasti te, dans omnibus existere, plantis vivere, animalibus sentire, spiritibus esse spirituale, intelligere, liberum velle : & mihi omnium scelestissimo dedisti esse spirituale quasi Angelicum, & esse corporis animalum ; & *nondum amarem te?*

Propter me *Incarnata Sapientia* carne humana induta, & miseris vitæ mortalis semet subiecit, tormenta atrocia, & mortem subiit, *SS. Eucharistia Sacramentum*, & gratiæ thesauros instituit : immensum gloriæ pondus repromisit : & *nondum amaram te!* Quid recenseam peculiariora in modo, & circumstantiis singularia præ aliis, intuitu meorum demeritorum indignissimo mihi collata beneficia? *Vel ideo diligam te, Domine fortitudo mea!* *Psal. 17 v. 1. De ventre matris meæ, DEUS meus es tu. Psal. 21. v. 50. Et*

præter hæc omnia venis ad me, vîsitas me, amas me, ut ameris à me, offers mihi *Sapientiam, immensitatem, justitiam, pulchritudinem, aternitatem, sanctitatem, bonitatem, infinitatem*, ut sine mensura in æternum amem te. Amo te igitur ex nunc & in æternum amabo Te.

J. 11. *Se totum divino Amori mancipat.*

SEd quid retribuam tibi pro omni isto incomprehensibili Amore? nihil occurrit, nisi ut securus dicam: *fiat in me, & circa me, de me, per me voluntas tua: fiat, fiat* quidquid tibi placet, approbo, sententiæ tuæ concordo: quod negas, dimitto, quod das, accipio, tua in corde meo voluntas regnet, mea in exilium agatur propensio, *Amo te*, tibi placere studeo; vitam mihi, ut voles, profer, vel contrahe. Morbos tolle, velingere. Effer me honoribus, vel preme contemptu. Amores erga me hominum excita, vel odia permitte. *Eruditionem, famam, formam* adde, vel adime. Nihil jam ho-  
rum

rum precor, nec deprecor, tuus ego sum. *Tibi vivo, Te amo, Tibi morior.* Nec solum SS. leges tuas omnes implere, SS. mandata tua, ac præcepta omnia servare, SS. voluntatem tuam omnem exequi *juro & statuo*: ac firmissimè propono: nam I. Job. 5. v. 2. *In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos DEI, cum DEUM diligamus & mandata ejus faciamus, Hac est enim charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus.* Sed & ardentè desidero te DEUM meum *ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis, & ex omni mente mea diligere, & proximum sicut meipsum* Luc. 10. v. 27. Insuper cum S. August. opto: *Domine, si omnia corporis ossa mea forent lampades aurea: & sanguis omnis per venas, perque membra diffusus foret balsamum; tuo unius amoris lampades arderent, tuo unius honori balsamum consumeretur.* Quid? Si nervi mei essent vincula aurea, jis te cordi alligarem meo, & æternam mihi astricium retinerem. Sic amo, amo, amo te, mi DEUS, & amabo in æternum.

**S.** 12. *Vnum deposcit; nempe in Amore mori.*

**Q**uando igitur in cunctis hisce re-  
 P 7 bus

bus tuæ penitus me voluntati præbe-  
am, & si quam guttulam à me habe-  
rem, eam quoque Oceano perfectio-  
num tuarum libentissimè adjicerem,  
at unicam eamque extremam à Te, O  
Clementissime Amor, peto gratiam:  
ah! non peto cum arrogante *Nabu-  
chadonosore* orbis totius Monarchiam:  
non dignissimum in regno tuo locum,  
cum *Matre Zebadaà*; nec paradisum,  
cum *latrone* ad Salvatoris mei latus  
*crucifixo*.

Cum *Salomone* rogo, mihi des *sedu-  
um tuarum assistricem* Sapientiam & *Jalu-  
tis scientiam*, ut *mecum sit*, & *mecum la-  
boret*, ut *sciam quid acceptum sit coram Te*.  
cum seruo tuo S. P. Ignatio oro: *Amorem  
tui solem solum, solum, cum gratia tua mihi  
dones nec aliud quidquam ultra posco*. O ig-  
nis divine, oro, facias cor meum *Æth-  
nam amoris* tui, ut *flagrantissimè a-  
nem*. Indulge, O Amor divine, ut  
radiis Amoris tui inflammatus veluti  
*Phœnix* in mediis ignibus emoriar:  
quemadmodum *Alma Mater MARIA*  
*Virgo* vitam Amoris flammâ absolvit.  
Oro

Oro denique in hac seu voce, seu affectu flammeo ut vitam claudam: *Amo Te amo DEUS meus, Amo, amo amo Te super omnia, DEUS meus, & omnia.* His ita gestis, in secretis conclave te manuprehendens *Amor DEI* introducet, & salutare hujusmodi institutiones præscribet.

### C A P U T III.

## Artes amandi DEUM & proximum.

2. *Actus amoris divini quam frequentissimos per otium elice. S. Thomas: Quilibet actus Charitatis disponit ad Charitatis augmentum.*

2. *Actus Charitatis erga proximum frequenta, diligendo eum purè propter DEUM. Si diligamus invicem, DEUS in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est. I. Joan. 4. v. 12.*

3. *Ex amore DEI juvandis in purgatorio animabus esto addictus, & artes hæc exerce. 1. rosarium pro illis ora.*

2. *Afflictiones corporis varias pro iis offer.*

offer. 3. *Psalmos penitentiales* 4. *Officium defunctorum* 5. *Litanias de omnibus SS. vel Lauretanas* pro iis recita. 6. *Horologij sono audito, pro Defunctis ad DEUM aspira.* 7. *Communionem mensuram, aut alias indulgentias iis applica.* 8. *Bonorum operum satisfactionem illis transcribe.* 9. *De defunctis & purgatorio colloquere, & alios ad iis auxiliandum accende.* 10. *Missa Sacrificium* pro iis cura legi, vel saltem devotè audi. 11. *Genibus humi positus vel expansis brachiis pro iis aliquamdiu ora.* 12. *Eleemosynas pro iis elargire.*

4. *Lege, audi, loquere libenter de DEO, & quæ ad DEI cultum spectant, honora, S. August. Quando legis, DEUS tibi loquitur, quando oras, cum DEO loqueris.*

5. *SS. Eucharistiæ Sacramentum frequenter sume, frequentius visita, ut te amore DEI accendat. Idcirco Christus ibi se posuit, ut, dum visibiliter DE-*  
UM

*DEUM cognoscimus; per hunc in invisibilitate amorem rapiamur.*

6. *Congratulare de bonis, quæ DEUS habet, & DEO congaude, ac ad amorem & laudem potest accendi. S. Thomas. Hæc congratulatio vehementissimè ducit in DEUM, & ad DEUM.*

7. *Gratias age DEO in prosperis, & adversis, amore DEI, S. August. Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm DEO gratias.*

8. *Humilitate actiosa DEI Amorem accende, maxime in examine particulari, quo unum vitium extirpetur, vel una virtus plantetur: Hoc examen B. N. S. P. Ignatium docuit. Hic orare solebat: Da mihi humilitatem & reverentiam tui nominis plenam, DEUS meus!*

9. *Venialia peccata vivo amore DEI vitia. Quia venialia saltem minuunt fervorem Charitatis, & minimus bonis operibus, crescit in nobis Charitas DEI. Pro calice aquæ frigida pauperi, amore*  
DEI

*DEl porrecto, crescit in cælo Præmium, & augetur in anima habitus Charitatis. S. Franciscus de Sales.*

10. Assidue ora vel voccliter, vel mentaliter, quod fit, si pactum cum DEO ineas 1. Quoties oculos in cœlum eleuas, quod illo actu velis omnium creaturarum DEUM eximiè cum *Seraphinis* amantium affectu, amare. 2. Quoties respiras, 3. Quoties syllabam eloqueris, hoc *sanctum* amoris cum DEO *œdus* renova, aut cum dicis, DEUS.

11. Quotidiè quære, quid placeat DEO, quid sit optimum. *Isaie 54. v.*  
11. *Turres Jerusalem, gemmis ædificabuntur.* Et tua habitatio in cœlis nobilissimis actionibus amoris, & aliarum virtutum ab amore DEI formatarum exstruatur.

12. *JESU crucifixi* meritis, quidquid agis, conjuge, *JESU corde* amemus, *JESU lingua* laudemus, *JESU manibus* operemur, & singulas cogitationes, atque actiones assuescamus SS. Tri-  
nita-



nitati offerre spirituales hostias acceptabiles per JESUM Christum I Petr. 2 P. Suarez Hac sententia mihi valde placet, operum digniora fieri ex unione ad Christum, & meritis ejus accrescit nova dignitas, & valor operibus justorum, ex Christo.

## Artium amandi Compendium.

Mane & interdus usurpandum.

SS. Trinitas unus DEUS meus & omnia, credo, spero, amo adoro Te: ac per manus, & omnia merita crucifixi, JESU MARIE JOSEPH Angeli mei, Sancti N. & omnium Seraphinorum; ac Electorum tuorum, maxime illorum qui te in hac vita summopere dilexerunt, offero divinæ, atque infinite amabili Majestati tuæ, cum profundissima cordis humilitate, in sacrificium laudis, & holocaustum amoris tui, meipsum, & omnes, ac nulla ommissa, particulatim, singulas meas cogitationes, verba, opera, respirationes hujus diei, hebdomadæ, mensis, ac totius vitæ, & mortus meæ.

Primò, *In gratulationem* de omnibus bonis, quæ habes à te, & quæ *Iesus, Maria, Ioseph*, meus Angelus Custos, Sanctus N. ac omnes omnino *Electi* tui habent à te: & de omni amore quo amaris ab illis: ac imprimis de illo, quo tu ipse infinitè amas te!

Secundò *In gratiarum actionem* pro *Incarnatione, Sacramentis*, ac omnibus donis quæ ego indignissimus habeo à te: & quæ *Iesus, Maria, Ioseph*, meus Angelus, Sanctus N. ac omnes omnino *Electi* tui, omnes creaturæ tuæ, etiam ingratae habent à te!

Tertiò. *In preparationem* pro felici morte, pro *Sacramentis* (ultimis potissimum) ac inspirationibus, *indulgentiis*. & omnibus donis quæ habebò à te

Quartò. *In detestationem & satisfactionem* pro omnibus malis, quibus ingratus ego, vel ulla unquam creatura offendit *TE*. Et utinam nunquam offendissem *TE*, sed semper odissem, quod est contra *Te*!

Quin-

Quintò *In approbationem* omnium omnino bonorum quibus unquam, vel ego indignissimus servus tuus, vel ulla creatura delectavit, aut delectabit *Te!* & utinam semper plus & plus amemus te! & faciamus ac patiamur, quidquid magis placet *Tibi*.

Sextò. *In intercessionem* pro amicis meis & inimicis: pro omnibus afflictis pro omnibus in agone vel in tentatione periclitantibus: pro omnibus vivis & defunctis: *NN.* maximè autem pro iis, pro quibus tibi magis gratum est, ut orem *TE!* Fac ut omnes ac singuli semper amemus *TE!*

Septimò *In adeptionem* omnium indulgentiarum ) desidero enim hodie ac semper acquirere omnes indulgentias quasunque possum ) & virtutis quam quæro in examine particulari : ut ex puro motivo *amoris tui* in hac virtute perseveranter vincam me: & fiam in dies magis idoneus ad plus amandum *TE!* Extirpa ex me quidquid impedit me in amando *TE!*

Octavò. *In efflagitationem, impetrâ-  
tionem, & quotidianum augmentum  
veri, solidi, æterni amoris tui: ut in  
spirationibus tuis obediens, ac sem-  
per ad id quod tibi magis placet soler-  
ter sagaciterque attentus, ex toto cor-  
de meo & ex tota anima mea, & ex totâ  
mente mea, & ex toto intellectu meo, &  
ex tota virtute mea & ex omnibus viri-  
bus meis, & ex tota fortitudine mea, ul-  
que ad mortem, semper & ubique,  
magis ac magis amem Te super omnia &  
ideo doleam super omnia, quod te un-  
quam vel levissimè offenderim, Deus  
meus & omnia. Utinam possem dicere  
omni ardore omnium tibi placenti-  
um voluntatum!*

Nonò. Denique offero tibi me to-  
tum quantulus sum: & mea omnia,  
cum omnibus omnino sacrificiis quæ  
unquam tibi placuerunt, aut placet  
cum Seraphinis, & omnibus Sanctis,  
tuis: ea intentione, quæ tibi omnium  
maximè placet, ea quæ ullo unquam  
libro, calamo, corde, aut cogitatione  
est

est expressa, vel exprimenda: ea qua operatus est *Jesus, Maria, Ioseph. N.* & omnes *illi Electi Tui*, qui tibi maxime placuerunt, cum quibus volo, *totus volo*, & supplex peto sequi *TE* ac *amare TE* in æternum super omnia, *DEUS meus*: cujus amore his meliora vellem, si mihi his meliora occurrerent. *Doce me amare Te! Amen.*

## Dialogus Isagogicus

*In III Partem*

### S A P I E N T I Æ S S.

*Cœlest. Salve, venerande Theophile.*  
*Theophil.* Et tu cœlestibus immerse delicijs *Cœlestine* salve: refer, amabo te, successum itineris per virtutis viam ad Amoris Academiam, & Sanctorum Sapientiam. *Cœlest.* Sæpe læpiuste comitem, ducem & magistrum in sancta illa solitudine optaram: Quis enim iter ignorum sine perito duce aggrediatur? Quis difficillimam artem sine doctissimo Magistro assequa-

quatur? *Theoph.* Quid ais hic? Nonne dilucidæ institutiones singulas viarum, & virtutû stationes distinctè designantes, Magistri & ducis vices optimè agebant? *Cælest.* Fateor equidem, multum mihi luminis ex ijs affluxisse, veruntamen vox humana multò placidius, & fortius in mentes influit. *Theophil.* Quod tunc omissum, compensabitur modò: Quid ergo desiderabas ulterius, pro tuo in Spiritu profectu? *Cælest.* Candidè, more meo, quod sentio, tibi aperio: Tractatus uterque de *Timore & Amore DEI*, præcepta continet plurima: exempla rara; hæc tamen ego præcipuè in isthoc libello cupiebam. Nunc verò ipse nosti, *institutionem in virtute, longam nimis & difficilem per præcepta, brevem & facilem per exempla esse juxta illud Poetæ:*

*Quidquid præcipies, brevis esto, quò cita dicta  
Percipiant animi dociles, teneantq, fideles.*

*Theophil.* Verissima loqueris; sed minime dubitabam, quin tibi utpote viro

viro litterato, in promptu sint exempla SS. *Timore & Amore DEI*. illustrium? Nunquid nosti heroicū actum *Abrahae Isaacum* filium *Amore DEI* obtruncare parantis, cui *DEUS* testimonium dedit: *Siste Abraham: cognovi, quod times DEUM, & non perpercisti unigenito filio tuo propter me. Gen. 22. v. 12. & S. Paulum cupientem Anathema* (id est addictum inferno sine jactura gratiæ) fieri, pro salute proximi, quem neque mors, neque vita, neque Angeli separare poterant à *charitate DEI*. Sanctum quoque *Anselmum* tanto amore in *DEUM* latum fuisset constat; ut maluerit *Amore DEI* præditus, demergi in *Barathrum*, quam cum aliquo peccato evehi in *cælum. Cælest.* Hæc novi quidem, & plura alia; videlicet, quanto ardore *S. Alexius* patrem, matrem, sponsam, opes, honores totis 17. annis, ut peregrinum pro *DEO* ageret, deseruerit, & alios 17. annos ignotus sub scalis Paterni palatii transfegerit. Novi *S. Francisci Incarnati Seraphini,*

*S. Augustini, S. Theresiæ, S. Catharina Senensis, S. Franciscæ Romanæ* excellentem charitatem. Sed unum adhuc me tangit, num ex omni hominum, etiam sæcularium statu, allegari possint Sancti, qui in *Amore DEI, & veræ Sapientiæ Sanctorum* studio perseveraverint? Nam *Matth. 24, v. 13.* disertè Christus ait, & quoniam abundavit iniquitas, refrigerescet charitas multorum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Theophil.* Modicæ fidei, quare dubitas? Dic age quam causam dubitandi habes? *Cælest. De jure consulti & justitiæ publicæ patronis ac Officialibus rarissimis salvandis* sensus ferme communis est; quasi ipsi sint iniquissimi; audi quæso *Dialogum* versu unico expressum, *civem inter & judicem habitum.* *Jud. fers aliquid? Civ. nihil. Jud. esto foris, Civ. fero. Jud. quid? Civ. satis. Jud. intra.*

*Fers aliquid? nihil. esto foris.*

*fero, quid? satis, intra,*

Ac si illorum tantummodo causa  
in



in Camera, & curia expediatur, qui ferunt aliquid, & satis ferant. *Theoph.* Fateor illa multum indigna esse; & similia me de Jureconsultis & Causidicis ex acuto Poeta legisse memini;

*Te precor, evites semper super omnia lites;  
Causidici solos disce cavere dolos.*

*Hic spectat plenam nummis mulgere crumenam:*

• *Sed malè parta fluunt, ut malè structa ruunt.*

• Et hæc nimis acerbè dicta sunt in *Advocatos, Causidicos. Cœlest.* Me similiter gravissimè afflixit, quod à Magnatibus joco quidem sed sæpius objectum.

*Causidicum in cœlis, unum, inquit Paulus, habemus:*

*Præter eum num alij, sunt ibi Causidici?*

Hic de Christo Apostolus loquitur; Item. *scalas Ivo retraxit*: quasi verò *S. Ivo* è causarum patronis unicus salvus evaserit & via ad cœlum alijs *justitiæ* forique publici officialibus sit præclusa, atque ars *DEUM* amandis ijs sit imperceptibilis.

*Theoph.* justo tuo, ut promptus respondeam desiderio, S. *Franciscum Borgiam* in illustrissimum omnibus dignitatem publicam gerentibus, propono exemplum. Insuper bene longum è *P. Theoph. Raynado S. J.* catalogum de SS. cujuscunque conditionis, ac ordinis tibi, hem offero. *Cælestin.* Plurimum me recreas hoc dono: tam multiplex SS. *DEUM* amantium exemplum erit in vivum mihi vitæ speculum: ad extremum rogo, ut & artes SS. dignè venerandi me edocere ne graveris. *Theophilus.* Optima SS. veneratio est constans eorum imitatio *Cælest.* satis dictum: gratias iteratas pro nova instructione refero. Non multa deinceps dicam: sed plura faciam: *Nam facta plus probant, quam verba.* Vale. *Theoph.* Tu quoque vale, & vive vita Sanctorum, ut moriaris morte Sanctorum.



PARS TERTIA.  
S A P I E N T I Æ S S.

*Exempla Sanctorum,*

*Timore & Amore DEI  
illustrium.*

C A P U T I.

Sancti è statu Clericali.

*J. Multitudo Ss. innumerabilis.*

**S** Cimus, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum; ijs qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Rom. 8. v. 28. Infinitus essem, si omnes ac singulos *Timore & Amore DEI* in vita mortali clarissimos, à Sancta Matre Ecclesia in album Ss. receptos recensere vellem. Unde præteritis *status regularis* (Nam aliqui, *Monachos* sub regula S. P. *Benedicti* canonicizatos 44000. ex ijs in solo *Cassinen- si Monasterio* 5555. vitæ sanctitate clariuisse; quot in alijs *Monasterijs* per omnes orbis plagas Ss. Ordinis regu-

laris censebuntur?) præteritis in quibus  
 divis innumerabilibus, non nullos so-  
 lummodo è statu *Ecclesiastico Clericali* &  
*Laico* dignitatibus vel litteris illustrio-  
 res producam. *Vides* equidem, quam  
 dinumerare nemo poterit turbam ma-  
 gnam sacrarum *Virginum*, *diaconissa-*  
*rum*, & tota agmina *SS. conjugatorum*,  
*cælibum*, *viduarum*, *Agricolarum*, *opi-*  
*scum*, *artificum*, *militum*, *famulorum*,  
*peccatorum* è malis artibus ad sanctita-  
 tem evektorum: sed horum *SS. in-*  
*diculum* alteri adducendum relin-  
 quo.

§. 2. *Apices sacrarum dignitatum.*

**M**erito hic quoque attingere vere-  
 or sacrarum dignitatum supremos  
*apices*; certum enim est, priores tres  
 supra triginta Romanos **PONTIFI-**  
**CES** Martyrij palma condecoratos,  
 plures *Gregorios*, *Leones* &c. Et do-  
 ctрина & sanctitate vitæ celeberrimos  
 fuisse. *Cardinales plurimos*, quos inter  
*S. Hieronimum* claruisse propugnat  
 cum aliis *Turre cremata S. sedis Apo-*  
 sto-

stolicæ Legatos taceo, quæ gloria, S. *Francisco Xaverio* cum pluribus aliis jure debetur. Primates inter & Patriarchas *Joannes Eleemosynarius*, & *Chrysostomus* eminent.

Episcopi absque numero sunt, qui sedes suas exemplo, & verbo ornârunt, & sanctissimè ad mortem usque vixerunt; quales in hac Argentinensi diœcesis SS. *Amandus*, *Iustus*, *Maximus*, *Valentinus*, *Arbogastus*, *Florentius*, *Remigius* &c. celebrantur. E. Coadjutoribus verò Episcoporum absque numero, solum novis S. *Gregorium Nazianzenum* germani patris sui *Sasimorum Episcopi* Coadjutorem fuisse.

J. 3 *Majoribus officiis in Clero eminentes.*

**N**Ota, Sanctorum nomina à nobis hic poni, at tu Candidate Sapientiae, miracula illorum, acta, vitam ac mortem ex aliis libris collige, hos assidue ad imitandum lege. Hunc etiam in finem compendiosæ SS. patronorum vitæ mensibus singulis ac-

curate distribuuntur, & Anno 1670.  
editum est calendarium novum, è  
Sanctorum actis contextum.

Sunt ergo Decani, *Wonedulphus*  
Brabantinus. 12. Septemb. Canonici.  
*Amandus* 4. Novemb. *Zenobius* 25.  
May. *Willeicus* Trajectens. *Claudius* 6.  
Junij. *Bruno*, ante secessum in Car-  
thusiam. *Wolphelmus*, Colon. 22.  
April. Vicarij Episcoporum. *S. Da-*  
*masus*. 11. Decembr. *Felix* Nolanus.  
14. Januar. Præpositi. *S. Anshelmus*.  
*Thomas* Attrebaten. 2. Julij, *Cuno* sive  
*Conradus*. præpos. Colon. 1. Jun. Offi-  
cialis, *S. Ivo*. 9. May, Inquisitor. *S.*  
*Petrus* Martyr. 29. April.

Archipresbyt. *Landoaldus*. 19 Mart.  
Archidiaconi, *Octavianus*. 22. Mart.  
*Aderaldus* Trecen. *Majolus*. *Araldus* 20.  
Octob. *Salutaris*. 18. Julij. *Cuno*. Co-  
loniens. Martyr. 1. Jun. *Adalbertus*  
primus Archidiac. Traject. 25. Jun.  
*Bernardus*. Archidiac. Augustens. *Me-*  
*morius* Martyr. Trecen. 7. Septemb.  
Cantores, Scholastici. *S. Odo*. Mar-  
cia-

*cianus*. 25. Octob. *Custodes*. S. *Abundius* 14. April. *Theodorus*. 26. Decemb. *Constantius*. 1. Sept. *Guido*. 12. Sept. *Sacellan*. S. *Theodgarus*. 3. Octob.

*Parochi*. S. *Severus* *Ravennas*. 1. Febr. *Odolphus*. 12. Jun. *Federicus* *Hal-lumer*. 7. Martij. *Hieronymus*, *Eccl.* *Bethlehem* *Oeconomus*. S. *Marcianus*. 10. Jan. &c.

§. 4. *Ex officiis in Clero inferioribus nominati.*

**V**icarij S. *Constans* 23. Sept. *Hieronymus* *Simon* *Valentiæ* *Aragon*. 1612. *Presbyteri*. S. *Lucianus*. 7. Januar. *Andochius* 24. Sept. *Gabinus*. 19. Febr. *Nicomedes* 15. Sept. *Benignus*. 1. Novemb. alij sine numero.

*Diaconi*. S. *Stephanus* *Protomartyr*. *Nicanor* è primis septem *Diaconi* 10. Januar. *Parochus* 1. Aprilis *Philippus* 16. Jun. *Agapitus*. 6. August. *Laurentius* 10. August. *Hilarius* 10. Novemb. & plurimi alij.

*Acolythi* S. *Tarcisus* 15. Aug. *Exorcistæ* S. *Petrus* 2. Jun. *Agatho* 14. Febr.

*Hermes* 31. Decemb. Lectores SS. *Celerinus*, & *Aurelius* 3. Febr. *Bassianus* 14. Febr. *Serapion*, & *Ammonius* 26. Martij. *Theodulus* Martyr. 4. April. *Fortunatus*, & *Septimus*. 24. Oct. *Viator*. 2. Sept. *Marianus* 30. April. *Jovinianus* Antisidor 8. Maij. Anonymi in persecutione vandalic: cum S. *Eugenio* 13. Julij, & cum Sancto *Simeone* 21. April. Clerici Sanctus *Bavo* 1. Octob. *Plures cum Sancto Eugenio & Simeone*.

## CAPUT II.

E statu Laico ad gloriam  
SS. euecti.-

§. I. Imperatores, Reges, Duces,  
Principes.

**R**EDDIDIT DEUS mercedem laborum  
Sanctorum suorum, & deduxit illos  
in via mirabili 1. Sap. 10. v. 14.

Imperatores. Sanctus *Henricus* 16.  
Julij. *Carolus M.* apud Gallos, & Ger-  
manos. Reges SS. *Ludovicus* Rex Gal-  
liae. 25. August. *Oswaldus* Rex Angliæ.  
5. Aug. S. *Canutus IV.* Rex Daniae 19.  
Jan.



Jan. *Stephanus* 20. Aug. Rex Hungariae. *Ericus* Rex Sueciae & Martyr 23. Maij. *Guthagonus* Rex Scotiae 3. Julij. *Ferdinandus* Rex Hispan. Legionis. *Elesbaan* Rex Æthiopiae. *Sigismundus* Rex Burgund. 1. Maij. *Ethelbertus* Rex Cantiorum 24. Febr. & plures alij.

Principes. Duces. *Casimirus* Pr. Poloniae, 4. Mar. *Emericus* Pr. Hung. 5. Novemb. *Rumoldus* Princeps Scotiae *Ludovicus* Tolofas, Prin. Siciliae 19. Aug. *Jodocus* Pr. Britanniae. *Amadeus* Dux Sabaudiae. *Simbertus* Dux Lotharing. *Guilielmus* Dux Aquitaniae 10. Febr. *Wenceslaus* Dux Bohemiae 28. Septemb.

J. 2. SS. *Marchiones, Comites*  
*Barones, Nobiles.*

**M**Archiones. *Leopoldus* Austriae 15. Novemb. *Aloysius* Gonzaga Castiliae 21. Junij *Hugo* Marchio Hetruriae cognomento probus.

Comites. *Godefridus*. Comes Sueviae, 13. Junij. *Romaricus* C. Austrasiae 8. Decemb. *Edwaldus*, C. Angliae Ar-

*mogastes* 19. Martij. *Bertholdus* C. German. *Josephus* C. Palæstinæ 22. Julij. *Ergerus* C. Gall. *Carolus* C. Flandr. 2. Mar. *Geraldus*. C. Aurel.

Barones. *Elzearius* Baro. 27. Septemb. Nobiles. *Abdon* & *Senen*. 30. Julij. *Hermes* 28. August. *Marius*, *Marta*, *Audifax*, & *Abacum*, *Perfa*. 19. Januar. *Cantius*, *Cantianus*, *Cantianilla* 31. Maij. *Geminiannus*. 16. Septemb.

§. 3. *Cancellarij Principum*, *Legati*, *Præfecti Provinciarum*.

**C**ancellarij. S. *Heribertus* 16. Martij, *Thomas Morus*. Regis Angliæ pro Ecclesia Et fide decolatus. *Melanius*, *Romanus*, *Landericus*, *Audoenus*, *Cunibertus*, *Bonitus*, *Ansbertus*, *Godegrandus*. Gallia Cancellarij. *Legati*. *Manuel*, *Sabel*, *Ismael* 17. Junij. *Germanus* Antisiodoren. 31. Julij. *Præfecti Provinciarum*. *Artemius*. 20. Octob. *Philippus*, *Arnulphus* 16. August. *Procopius*, dictus *Meantias* 8. Julij. *Germanus* sub *Pipino* 11. Octob.

Secretarij, Consiliarij, Referendarij Princ.  
in politia regenda. *Arnulphus* 18. Jul. *Cu-  
nibertus* Colon. 12. Nov. *Renactus* 1. Sept.  
*Medoaldus*, 12. Maij. *Bonitus*, 15. Januar.  
Quæstores supremi, & Thesaurarij Princi-  
pum, *Cæsarius*, frater Gregorij Nazian. *Ni-  
colstratus* 7. Julij *Erasmus*, *Arcarius*, sive  
quæstor vrbs *Corinthiorum Rom* 16. v. 236  
colitur. 16 Julij *Audaci* 9 7 Febr. *Rado* 24 Augo

J. 4. *Judices, Prætores, Consules,  
Senatores.*

**J**udices publici 8. *Secundianus* 9. August.  
*Liphanus* 3. Jun. *Gordianus* 10. Maij, *S.  
Aper. Primartus*, Iudicium Vicarij *Cerea-  
lis* 10. Junii. Prætores, Consules, *Hermes*  
præfectus urbis. 3. Maij. *Acilius Glabrio*  
sub Domitiano. *Palmachius* 20 Maij. *Galli-  
canus* 25. Jun. *Joannes Damascenus*. 4. Dec.  
Senatores. *Pudens* 19. Maj. *Apollonius*  
8. Apr. *Lucius M.* 10. Aug. *Victorinus*. 236  
Martij, *Dorymadon M.* 19. Sept. *Venustia-  
nus* 30. Octob. *Afferius M.* 3. Mar. *Anasta-  
sius* Cornicularius. 21. August.

C A P U T III.

Litteris & sanctitate celebres.

J. I. *Concellarij Academiæ*;  
*Theologiae* & J. II. *Doctores.*

**Q**ui autem Docti fuerint, fulgebunt quasi  
spendor firmamenti; Et qui ad justiam

*erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas æternitates. Dan. 12. v. 3. Alia claritas solis, alia claritas lune, alia claritas stellarum, 1. Cor, 15. v. 41. 1. Cancellarij. Academiarum. Richardus Cisterciens. 3. April. Joannes Gerson Vir verè sanctus, etiam contra Canonismum. 2. Doctores Theol. Doctor œcumenicus cum 12. Collegis exusti ob fidem, à Leone Isaurico, Bruno Carthusianorum Pater, Philosophiæ. ac Theol. D. 6. Octob. Thomas Aquinas. 7. Martij. Bonaventura. 14. Julij. Vincentius Valentinus. 5. April. & plurimi alij. 3. Doctores V. I. Carolus Barromeus Cardin. 4. Novemb. Jacoponus. Ioannes Roberti in Opusc. de juris peritis novem quinquagenas I. V. DD. exhibet.*

**J. 2. Medici, Philosophi, Magistri, seu Instructores.**

**M**edici. S. Lucas 18. Octob. Alexander Lugduni M. 1. Jun. Cosmas & Damianus. 27. Septemb. Papilius, Diaconus Pergamenus 13. April. Panthaleon. 27. Jul. Theophilus, Raynaudus affert 17 alios, Bzovius, innumeros. Magistri. Cassianus Forosempron. 13. Aug. Patroclus. 19. Nov. Protogenes M. Laurentius Novarien. 30. April. Protus 31. Maij. Primarius à Iuliano Apostata suo discipulo necatus. 24. Mar. Philosophi Justinus Martyr, 31. Sextus secundus.

cund. spiritualis Pater *Laurentij* 6. Aug.  
*Catharinae* 15. Novemb.

§. 3. *Rhetores, Musici, Poetae.*

**R**Hetores. Sanct. *Paulus à Gentibus pro*  
*eloquentissimo Mercurio habitus* 25. Ian.  
*Joannes Chrysostomus* 27. Ian. *Ambrosius Epi-*  
*scop.* 7. Decemb. *Petrus Chrysologus.* *Cypria-*  
*nus.* *Vincentius Ferrerius Dominicanus.*  
*Antonius de Padua* 13. Iun. innumerabiles  
 alij, quorum linguam S. Spiritus accendit,  
 & rexit. Musici. *Odo,* postea Abbas *Clu-*  
*niacensis.* *Adalbertus Augustanus Roma-*  
*nus.* 1. Octob. Poetæ. *Joseph Theffalon-*  
*ensis,* 8. April. *Sabas* 28. Octob. *Damasius*  
 Papa 11. Decembris.

§. 4. *Advocati, Notarij,*  
*Procuratores.*

**A**Dvocati causarum Patroni. *Philogonius,*  
 20. Decemb. *Joannes Chrysostomus ad-*  
 huc Laicus 14. Sept. nam hoc die obiit.  
*Germanus* 31. Iulij *Ivo Presbyter* 19. Maij.  
*Vectius Epagathus.* 2. Maij. advocatus *Chri-*  
*stianorum.* Notarij. *Martianus,* & *Mar-*  
*tyrius.* MM. 25. Oct. *Plato,* postea *Mon-*  
*achus* 4. April. *Genesius Arelatens* 25. Aug.  
*Gronidas Commentariens.* 27. Mart. *Apro-*  
*nius* 2. Febr. *Athanasius Commentar.* 3. Ia-  
 nuar. *Claudius M. in Actis. Sebastiani.* Pro-  
 curatores. *Fulgentius, Anselmus.* 26. Iunij.  
 Artes

## Artes SS. Trinitatem

adorandi, & Sanctos colendi ac imitandi.

*Ars 1. Ex Amore DEI sæpissimè repete, Gloria Patri, & Filio (maximè diebus Dominicis) per modum Rosarij, 33. quot annos Christus D. vixit in carne mortali & post unamquamque decadem Pater noster. Sive devotè recita: Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritus, Laudemus & superexaltemus eum in secula. Psal. Laudate Dominum omnes gentes. Litanias, vel Officium de SS. Trinitate. Perage opera bona numero trina, amore SS. Trinitatis.*

*Ars 2. Omnia tua age purissima intentione DEI solius verè optimi amore: formulam puræ intentionis soli DEO placendi, hanc accipe: Omnipotens sempiterne DEUS, agnosco me miserabilem, & indignum peccatorem. Doleo, quia te summum bonum, DEUM meum offendi, quem super omnia diligo, & ardentè desidero emendare peccata mea; purâ & sincerissimâ intentione divine tue gloria, tibi que placendi, & serviendi desiderio, coram tua videntis omnia, & intima mea pene-*

*tran.*

*stantis presentia, volo NN. NN. Studere, orare, &c. nolo interim aliud cogitare, aut curare, perinde, ac si hoc unum mihi faciendum restet, sitque hoc unicum necessarium, quod aggredior: Desidero etiam tam perfectè facere, tanquam si in hac, vel post hanc actionem moriendum mihi esset: Adjuva me tua sancta gratia, quia sine te nihil, & nihil possum. Talem accuratorem S. P. Ignatius à suis exposcebat in omnibus operibus.*

o Genua sæpius flecte in honorem Patris æterni, exemplo Pauli, propterea flecto genua mea ad Patrem D. N. JESU Christi. Te DEUM laudamus, &c. offer, vel Symbolum S. Athanasij, vel Pater noster cum attentione meditare. Deo gratias pro conservationis beneficio cum intenso affectu toties repete, quot annos vixisti: suspira ad DEUM Patrem dicendo: *Pater peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.*

*Ars. 3. Increatam & Incarnatam sapientiam IESUM Christum ardentissimè ama, cole, adora. Nomen JESU debita cum reverentia inclinatione capitis, genuflexione pronuntia; initio*  
litc-

literarum vel alias sæpius *JESUM* fronti, ori, cordi imprime. Litanias de nomine *JESU*, officium, orationes, *O bone JESU*, *O piissime &c.* pio affectu ad *JESUM* recita, & ardenter excita: Vide *Cœleste Palmetum. &c. Wilhelmi Nakateni*. Incarnationem Filij *DEI* in adventu, & festo *Annuntiationis P. V.* cum veneratione recole; festa *Christi Domini* suavissima devotione perage, ut *Nativitatis*, exercendo humilitatem, paupertatem, frigus hyemis patienter sustine imitatione *JESU* parvuli, festo *trium Regum & Purificationis* te totum *DEO* in munes ultronum consecra. Per quadragesimam opera mortificationis amore *Dei & Christi patientis* exerce. Vide p. I. c. 3. Art. 1. Tu solummodo pridianum jejunium præmitte festis, ipso autem festo sanctam Confessionem ac communionem nunquam omittas.

*Ars 4. Christi crucifixi* imaginem in cubiculo, vel collo retine, frequenter aspice, *vulnera* osculare. Diem *Jovis*



*vis venerabili Sacramento, diem Veneris Christi passioni consecra, & tota die illorum mysteriorum memento. Ora expansis brachiis, nudis humi fixis genibus, unum ex tormentis Christi meditare, ex Evangelio passionem Christi lege, & te amore Christi mortifica. Venerabile Sacramentum quoties licet visita, officium de venerabili, Litanias &c. recita, & Missam, quoties licet, audi. Fidem carnis nostræ resurrectionis, & spem vivam elice ex consideratione Domini Jesum resurgentis. Desidera Jesum videre in gloria exemplo sancti Pauli, & ad Cœlum aspira cœlum intuere. Virtutes JESU dilectissimas Charitatem, Humilitatem, Mansuetudinẽ practicẽ imitare.*

*Ars. 5. Spiritum sanctum multa invocatione cole per breviculam aspirationem: Veni sancte Spiritus: Officium de S. Spiritu. Litanias de Spiritu S. Hymnum Veni Creator Spiritus. Tractum; Veni S. Spiritus & emitte cœlitus &c. Sæpius verba sancti amoris exer-*

exerce, quia *S. Spiritus* est amor *Patris aterni* & *Filij*. Renova & memoria grata gratiam Baptismi repete, ac gratias age pro beneficiis innumerabilibus etiam incognitis.

*Ars 6.* Ante studia *S. Spiritum* invoca oratione *S. Thomæ Aquinatis*: Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ tres Angelorum Hierarchias ordinasti, & eas super cœlum Empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissimè partes universi distribuisti. Tu, inquam, qui verus fons luminis, & sapientiæ diceris, atque supereminens principium; infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis duplicem, in quas natus sum, à me removens tenebras peccatum scilicet & ignorantiam: Qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatē; ad-  
di-

discendi facilitatē, loquendi gratiam copiosam: ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas, per Christum Dñm nostrum, Amen.

Pro emendatione vitæ S. Spiritum invoca: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & S. Spiritum tuum ne auferas à me. Redde mihi letitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Non tantum festum Pentecostes, sed singulis hebdomadis Diem Martis, V. G. in honorem S. Spiritus offer.

Ars 7. B. V. MARIAM. ut imaculatē conceptam, Reginam Angelorum & SS. omnium, puro amore Dei, ama, ac ejusdem B. V. exemplo stude, ne verbo vel cogitatione ulla Deum aut amorem lædas Festa B. V. præcipuè *immaculata Conceptionis, Anuntiationis Assumptionis*, pridiano jejunio in per-vigilio præmissio, *Confessione Communionis*, devotissimè celebra, & ejus unicam virtutem illa die, pro imita-tione

tionem firmiter tibi propone! *Sabbathū* per totum annum *amore De & B. V.* singulari veneratione perage, vel jejunando, vel salutem Litanias Lauretanas recitando. &c. Instar servi, vel mancipij te illi dedica. Formulam Congregationis renovando, Sancta MARIA mater Dei & Virgo &c.

*Ars 8. Amore Dei & B. V. protestare pro castæ mentis observatione.*

## PROTESTATIO CASTÆ MENTIS.

**E**GO N. coram castissima Virgine MARIA, Angele custode, & tota cœlesti curia, *Tibi DEUS cordis mei* me fisco & protestor, me nolle unquam consentire, non modo facinori committendo, sed ne cogitando quidem, quantumvis adversarij vim inferant. Detestor & execror omnes istas scœditates, & spurcitia. Frustra agis, *sordide Tentator, Damon spurcissime!* Malo enim dehiscat terra, castoque mihi mille inferos referat, quam ut  
tur-

turpi delectationi vel ad momentum consentiam. Ita decretum, ita constitutum est. Adesto, O MARIA! O Angele mi! Patronique Castitatis meæ, Tuque voluntatem meam confirma, O JESU! quod per sanguinem tuum supplex precor, AMEN.

Ardentes preces usurpa, V. G. O Domina mea Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, & singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, animam & corpus meum tibi comendo, omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias & miseras meas, vitam, & finem vitæ meæ, tibi comitto, ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & disponantur opera, secundum tuam, tuique Filij voluntatem, & meam necessitatem, Amen.

Officium immaculatæ Conceptionis B. V. recita, eam cultu hyperduliae cole, *Preces jaculatorias* ad illam emit.

emitte, v. g. *MARIA Mater gratia, &c.*  
 & novies, quot menses scilicet Christus  
 in virgineo utero delituit: *Beata viscera*  
*MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni*  
*Patris Filium.* Item *In te Virgo, vita forma,*  
*veræ sanctitatis norma, Te MARIAM, dili-*  
*go.* Item novies: *Benedicta sit purissima &*  
*immaculata Conceptio sanctissima V. MARI-*  
*Æ, Mater Dei memento mei,* aut cum S.  
*Francisco Xaverio intentionibus exclama*  
*Domina opitulare, Domina non opitulabe-*  
*ris? Nos cum prole piâ benedicat Virgo Maria*  
*Menstra te esse Matrem &c. Virgo singularis*  
*inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites*  
*fac, & castos.*

*Ars 9. Actualement DEI, & B. V. MA-*  
*RIÆ amorem elice, inter rosarij per*  
*quindecim mysteria recitationem.*  
 Præcipuè condole Matri dolorosa  
 per 12. Ave Maria, & ter Pater noster,  
 vel Stabat Mater dolorosa; vel per  
 officium de doloribus B. V. Vel con-  
 cinna Corollam stellarum duode-  
 cim, gratulando B. V. de duodecim  
 privilegijs à SS. Trinitate collatis. Sal-  
 ve Regina, Alma Redemptoris Ma-  
 ter, Regina Cœli. Ave Regina. Ave  
 ma-

maris stella, &c. constanter recita, & saltem indies unum gratum obsequiū B. V. præsta. Labores & negotia totius diei vesperi per B. V. manus Christo, & Patri æterno devotissimè offer. Quotiescunque hora auditur unicum Ave Maria pro felici morte ora. Vesperi osculando, vel numisma, vel humum aliquoties, benedictionem à B. Maria V. pete. Pro Defunctis & eximijs amantissimi JESU B. V. cultoribus, missas procura, vel missas audi, & totam diem lunæ consecra fidelibus defunctis.

*Ars 10. Christi & B. V. MARIÆ propinquos, aut consanguineos præcipua devotione venerare; hos inter eminent u. V. Sponsus Joseph, DEI humanitatis Nutritius, S. Joach. S. Anna. S. Joannes Baptista, S. Joannes Evangelista, Item Sanctos & SS. qui Christo in cruce agonizanti astiterunt, in Patronos tuæ ultimæ agonix advoca.*

*Ars 11. SS. Angelorum Custodem indies, mane & interdium invoca, S. Pa-*

tronum cognominem die ejus natali per varia officia ac pietatis exercitia cutlu duliæ honora: *Officium de Angelo Custode*, aut *Litanias* recita, hunc pædagogum tuum invisibilem semper observa, festum S. Michaelis, S. Angeli custodis celebra, confitendo, communicando, &c. Protestationem etiam coram Sancto Angelo Custode relege pro felici morte. SS. Angelorum novē Choros vel per novem *Ave Maria* ter *Pater noster* ( ut tres *Angelorum hierarchias* reverearis ) *Reginā Angelorum MARIAM* saluta, vel eorum opem, & *DEI* amorem pro horula mortis implora.

*Ars 12. Diem Mercurij Memoriam Sanctorum Angelorum & omnium sanctorum tribue; hos obtestare, ut in hora mortis tibi assistant, vel certè per mensuram Patronorum fortitionem pro singulis hebdomadæ diebus tibi Sanctum DEI & Deipara amore excellentem elige, à quo virtutes præscriptas, & sapientiam sanctorum condiscas. Hos sanctos imitare acta, & dicta eorum assidue perlege, ac meditare, ut in tempore & æternitate DEUM ardentissimè diligas. Interim ad coelestem Patriam*



etiam cum vate coronato aspira, *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!*  
*Psal. 83. v. 1.*

Nota. Omnia & singula toto libello dicta S. Matris Romano-Catholicæ Ecclesiæ iudicio sincerissimè subijcio. Quæcunque etiam de Sanctis hîc protuli: intelligi volo juxta Urbani Papæ VIII. Quinto Julij Anno 1631. editum Decretum.

## CONCLUSIO

totius operis Sapientiæ SS.

S. Anselmus Profol, c. 25.

*Quid ergo permulata vagoris, homo, querendo bona anima tua & corpori tuo; Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris sui. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nil possit obistere; Erunt similes Angelis Dei, quia seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale: potestate utique, non naturâ. Si longa & salubris vita; ibi sana est aeternitas, & aeterna sanitas? quia iusti in perpetuum vivent, & salus iustorum à Domino. Si satietas; Satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas? Inebriabuntur, ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum Chori Coniungunt sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas? Torrente voluptatis tua, potabis eos DEUS. Si Sapientia?*

via? Ipsa DEI sapientia ostendet eis se ipsam.

Amicitia? Diligens DEUM plusquam se ipsos, & invicem tanquam se ipsos, & Deus illos plusquam illi se ipsos: quia illi illum, & se, & in vicem per illum, & illi se, & illos per se ipsam. Si Concordia? Omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit, nisi sola DEI voluntas. Si potestas? Omnipotentes erunt voluntate sua, sicut DEUS sua: Nam sicut poterit DEUS, quod volet per se ipsum; ita poterunt illi quod volent, per DEUM. Si bona & divitiæ? DEUS servos suos bonos & fideles supra multa constituet, Filij DEI & DEI vocabuntur, & ubi erit Filius ejus, ibi erunt & illi, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi. Si vera securitas? ita certi erunt, nunquam istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se sua sponte id non amissuros, nec deflorum DEUM, illud; dilectoribus suis in vitis ablaturum; nec aliquid DEO potentius ipsos in vitos à DEO separaturum. Gaudium verò quale & quantum, ubi tantum bonum!

Et cap. 16. Utique tantum gaudebunt, quantum amabunt, & tantum amabunt, quantum cognoscent Domine tunc, & quantum te amabunt? Certè nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita, quantum te cognoscent, & amabunt in illa vita. FINIS.

